24

De Roman. poteſtate.

Nº

Sum Rolandi Iuvenij et amicorum

ANDREÆ DOMINICI FLOCCI, FLORENTINI, DE POTESTATIBVS ROMANORVM, LIB. II.

Hactenus L. Feneſtellæ, & falsò, & mutili adſcripti, & nunc demùm poſtliminiò integritati, ac priſtino nitori, & Auctori reſtituti, ſtudio ac induſtria EGIDII WIITSII, I.C. Brugenſ.

Pomponij Læti, Raphaelis Volaterrani, & Henrici Bebelij, eiuſdem argumenti libelli, ab eodem accuratè caſtigati, adpreſsi ſunt.

SCRVTA  MINI.

ANTVERPIÆ,
Ex Officina Gulielmi Syluij, typographi Regij:
M. D. LXI.
CVM PRIVILEGIO.

SVMMA PRIVILEGII.

CAutum eſt diplomate Regio, ne quis hos Andr. Domin. Flocci de Poteſtatibus Rom. Commentarios, egregij Iureconſulti Egidij VVijtſij Conſiliarij, ac Penſionarij Brugeñ. opera, atque induſtria caſtigatos, & reſtitutos, in hiſce ſuæ Maieſtatis Ditionibus, præter Guliel. Syluium Regium Typographum, vllo modo, proximo ſexennio imprimat, vel alibi impreſſos, importet, aut venum exponat, ſub graui mulcta, vt latius habet Priuilegium. Datum Bruxellis, penultima Nouemb. M. D. LX.

Boudewijns.

AMPLISS. CLARISS.Q. VIRO D. IODOCO DAMHOVDERIO V. I. *Doctori, Equiti aurato, ac Regis Hiſpaniarum in Germania inferiori Rationali Commiſſario, ac Conſiliario,*

Egidius VVijts. I. C. *Brugenſis,*

S. *D.*

CVM HAVD ITA pridem V. C. duos hos de poteſtatibus Rom. libellos diligenter, & accuratè caſtigaſſem, & in integrum, id eſt, per omnia verę, ac priſtinæ dignitati reſtituiſſem, adiectis etiam annotationibus, quibus aduerſus deprauatores armati conſiſterent, ídque amicis quibuſdam meis innotuiſſet: hos meos labores num aliquando in ſtudioſæ iuuentutis vſum, ac emolumentum luci

darem, ac in publicum exire pate-
rer, dum adhuc apud me nõdum e-
rogatus delibero, iamdudum in bi-
bliopolarum officinis editionis a-
leam ſubituri, expectantur: literis
interpellant me, hoc officij ſtudioſis
omnibus largirer, & non paterer ar
ca abditum diutiùs concludi, quod
danti maximam laudem, & accipien
tibus ſummam voluptatem adfer-
ret. Quod cùm tandem euiciſſent,
& obtinuiſſent, vt edendis his lucu-
brationibus aſſenſum præſtarem,
annotationes tamen, quibus, præ-
terquam quod & iuriſprudentiæ &
hiſtoriæ cõſultiſsimorum virorum
reſponſis explicatur, ea iuris pars,
quæ ad Magiſtratus pertinet, qua
non alia hactenus à iuriſcõſultis ma
gis neglecta eſt. (Accurſius enim ad
ſingulos titulos de offic. Magiſtrat.
hic ait titulus non legitur, nempe
quia

quia nec ipſi, vt inquit [1] Baro, nec il lis, qui eum præceſſerunt, perſpecti erant,) magiſtratus quoque aliarum nationum veteres, & qui hodie adhuc vbique ſunt, conferuntur, ad menſes aliquot limandas, perpoliendáſque, ac ſeorſum imprimendas, relinquerent: (vix enim eſt vt idem & laudem diligentiæ, & gratiam ſimul celeritatis mereatur) In hoc cauſę diſcrimine conſtituto cogitanti mihi, cuius nominis atque amplitudinis patrocinio freti, exire: & impunè, vt ſic dixerim, proſtare, atque apparere vbique poſſent: cùm hodie nihil à calumnijs, & obtrectationibus tutum ſit, tu mihi occurriſti v. c. ſolus, cui non modò pro antiquitatis à priſcis vſque ſeculis ducta obſeruatione, hàs meas vigilias nuncuparem, & conſecrarem, ſed nuncupatim earum tute-

[1] Ad tit. de offic. præſ. ff.

 lam

lam committerem, vt ſi quis moto in vtramque aurem capite, fidem, & integritatem earum cauilletur, & ſuggillet, protinus in clientelam traditus ſis præſidio, & fidem aſſeras libellis meis, non quidem ex me natis, ſed mea opera, ſtudio, & induſtria ſic emendatis, & compoſitis, vt nouam formam atque imaginem eos accepiſſe, proculdubio ſit non inuitus vel ipſe liuor iudicaturus: adeo nempe multa diſtorta, collapſa, confuſáque reſtitui, correxi, compleui, vt non tam caſtigati, quàm ab inferis in lucem, atque à morte in vitam reuocati, cenſeri debeant.

Sed hoc cuicunqu e hæc conferre libuerit, cum libellis illis qui hactenus prodierunt in lucem, cognitu erit facilimum, vt non ſit neceſſe hîc induſtriam, atque ſtudium

in il-

in illis recognoſcendis meum, præ-
dicare: Si ſenſum, inquam, ac con-
textum, & fidem hiſtoriæ ſpectes:
nam omiſſa verborum cura, ad fon-
tes tantùm videtur auctor digitum
intendiſſe, vt qui peregrina, & per-
purgatis auribus abſona pleraque
vſurparit, & Græca potius, quàm
Latina connexione orationem con-
ſtruxerit, quod & à [2] Bredebachio [2] Infrà lib. ij. cap. vij.
eſt obſeruatum, & à me ſuo loco
annotabitur: nam (niſi me fal-
lit [3] Volaterranus) fuit Andreas [3] Comment. Vrban. li. xxj.
Dominicus Floccus (licet Fiocum
ibi quidam legant) Emanuelis Chry
ſoloræ Byzantij Græcæ diſcipli-
næ præceptoris diſcipulus, & ſcho-
læ ſucceſſor: Quod eò dico, ne
quem fortè cogitatio ſubeat, quî
factum ſit, quòd alicubi, non dico
in malas, veruntamen auribus no-
ſtris inauditas harmonias, exeat.

Si qui autem ſunt, qui me phraſeis eius generis, quæ omninò Romanum parentem non referunt, non ſuſtuliſſe improbent, rideántque filum dictionis, & ſtilum, ſi quando tamen ſuo vtitur. nam ferè illorum vtitur verbis, è quibus ea quæ habet, collegit: meminiſſe illos velim, quàm anguſtis in alieno ſolo laborantes, finibus coërceantur, neque enim qui corruptos veterum libros emaculandos ſumunt, quæ ſibi maximè placent eligere, & Latinæ locutionis peritiam ſectari poſſunt, ſed in id demum animi vires intendere iubentur, vt quod in manibus habent, emendatum exeat: quod ſanè ſedula proferendæ veritatis cura, præſtare conatus ſum, ſtudiumne voluntati reſponderit, aliorum eſto iudicium: neque enim ope-

ram

ràm meam venditare libet.

Hoc impræſentiarùm v. c. te rogo, & per Manes Andreæ Dominici obteſtor, vt hos libellos, eo quo nunc exculti amictu ad te veniunt, tanquam amoris, & obſeruantiæ in te meæ teſtes benignè ſuſcipias, & vt potes, polléſque, defendas, ac tuearis. Vale vir Clariſſime.

Ex Brugis Flandr. pridiè Cal. Decemb.
M. D. L X.

STVDIOSO, ET BENEVOLO LECTORI, INSCRIPTIONIS A SE MVTATÆ RATIONEM REDDIT EGIDIVS VVIITSIVS I. C. BRVG.

CVR à me ſublata ſit veteris nominis inſcriptio, ne quis ſtatim temerè, & nouandi ſtudio, id à me factum eſſe ſuſpicetur, ob idque malit vſitatum, & receptum errorem ſequi, quàm vetus & legitimum nomẽ comprobare, admonitos vos cupio, lectores beneuoli, non me meo iudicio contẽtum, ſed pullato eruditorum circulo fretum, ſcriptoque exemplari adiutum, hos libellos, ea qua nunc apparent facie, deliniaſſe: multi enim iamdudum inter ſe ſunt rixati, quis fuerit, & vnde ortus, & quo tempore floruerit auctor horum librorum, qui de ſacerdotijs & magiſtratibus Vrbis Romæ, L. Feneſtellæ titulo hactenus ſunt circulati. Neque enim pleriſque, qui non populari trutina, ſed aurificis ſtatera, hoc eſt, diſcerniculo libratiore cuncta examinant, hoc ſatis perſuaſum fuit, licet multorum retrò ſententijs, in rem abijſſe iudicatam videatur, vt L. Feneſtellæ ſint, & cenſeantur. Ita enim iampridem conſenſit, & conſciuit [1] Blondus, [2] Eraſmus, [3] Bebelius, [4] Aſcentius, [5] Zaſius, [6] Polydorus, & [7] alij eius generis

[1] Romæ triumph. lib iij.
[2] De cõſcr. epi. cap. de ſimpl. ſalut. for.
[3] Tractat. de mag. Rom. in pr. & cap. de trib. pleb.
[4] In præfat. huius lib. editio. Cheuall
[5] L. 2. verſ. Et quia magiſt. & ver. Et quia vt dix. D. de orig. iu.
[6] de Inuẽtor. rer. lib. ij. capite iij.
[7] Celius Curio in Philip. ij. Cice. in verbo. quęſtores Pyrrhus Angleb. in tract. de magiſtrat Rom. Chaſſaneus in catal. honorũ parte iiij. v. vj. & ſeq. Ioach. Mynſignerus § ſenatuſconſultũ nu. iij. & § prætorũ edicta nu. j. Inſt. de iur. nat. gent. & ciuili. Chriſtoph. Hegẽd. L. j. D. Si quis ius dic. Ioan. Corraſ. Miſcell. li. j. ca. x. nu. v.

neris complures valdè locupletes, & in muſarũ domo bene noti ſcriptores. At plerique iuris ſcientia conſpicui, inſignesq́ue legum coriphęi, collatione auctorũ, ex quibus hic opes has com paratas nobis aduexit, ſubdititium, & perſonatum, Feneſtellæ, inquam, veteris imagine tectũ, hunc eſſe auctorem deprehenderunt: Sanè non antiquiſsimum illum, cuius ſcripta citantur apud [8] Fulgentium, & ex quibus tranſcripſiſſe ſe multa [9] Plinius in naturali hiſtoria fatetur. Quam ſententiam ſunt amplexati, & conſertis veluti digitis retinent, [10] Alciatus, [11] Tiraquellus, [12] Camers, [13] Curio, [14] Viues, [15] Baro, [16] Bredebachius, [17] Cœnalis, [18] Duarenus, & [19] Coraſius, nempe hunc nõ eſſe Feneſtellam illum, qui Auguſti, aut ſanè Tiberij Cæſaris principatu vixit, & cuius frequenter teſtimonium citat [20] Vlpia. & [21] Pomp. I. C. Id autem vel ex eo perſuaſum habent, quòd hoc in opere, prętérquam quod epiſcoporum, & archiepiſcoporũ [22] mentio fit, [23] Plinius, [24] Gellius, [25] Suetonius, [26] Aſconius, & [27] Iuriſconſulti quoque teſtes proferantur, iuſto ſeculo Feneſtella poſteriores, quod [28] Zaſium, & Bebelium aliquando turpiter fefellit, ſcribentem ex Feneſtellæ libellis, qui in manibus noſtris ſunt, Pomponium & Aurelium I. C. multa diſsimulato auctore ſumpſiſſe. Neq; enim temporum ratio vllo modo patitur, hanc

de

[8] In Mytholog.
[9] Lib. xxxiij. c.i.
[10] Diſpunct. lib.iij. cap.v.
[11] de iure primoge. quęſt. xvij. op. 1. nu xliij. & de nobilitat. capite xxviij. num. xxix.
[12] In pręfat. huius lib. impreſs. Bryling
[13] Valentinus Cur. ead. impreſ. et pręfa.
[14] De tradit. diſcip. cap. v.
[15] L. v. ca. de offic. quæſt.
[16] In præfat. huius libelli, impreſs. Ceruicorni & Gymnici.
[17] De re Gall. li. j. perioch. j.
[18] De ſacr. eccleſ. miniſte. lib. j. cap. vlt.

[19] L. Nec quicquam § vbi decretum. num. iiij. D. De offic. proconſ. & Legat. & d. lib. v. ca. de offic. quæſt. [20] D. L. v. ca. [21] De orig. Iur. [22] Lib. j. cap. v. [23] lib. j. cap. xiiij. [24] lib. ij. cap. j, & alıàs frequẽter. [25] lib. ij ca. xxij. [26] lib. ij. cap xiij. [27] d. l. v. cap. [28] DD. Verſic. & Bebel. dd. tract. vbi de præſ. prætor.

de poteſtatibus hiſtoriam illius eſſe Feneſtellæ Romani, quippe qui, vt [29] Euſeb. & [30] Volaterr. volunt, circiter annum à Chriſto nato XXI. vita functus eſt. Ob quam cauſam [31] Garro, [32] Aymarus, [33] Cuſpinianus, [34] Droſæus, [35] Ferrarius, & [36] Licoſthenes, duos fuiſſe Feneſtellas opinati videntur, veterem illum L. Feneſtellam, hiſtoriarum & carminum nobilem ſcriptorem, & nouiſſimum hunc rerum memoriæ non indiligentem (vt [37] Camers loquitur) collectorem ſine prænomine L. fortè dictum Feneſtellam à Feneſtræ oppido, cuius ruinæ adhuc viſuntur in agro Viterbienſi, vt [38] Annius ait, quamuis à feneſtra potius Feneſtellam hunc ſcriptorem [39] Valla dictum malit, & [40] Celius, vt a proceritate Columella, & ab hirſutie Capella, ita & à caluitie Feneſtellam nomen inueniſſe tradat. At [41] Mathias Bredebachius, & rurſus [42] Alciatus, [43] Vacca, [44] Pellitarius, [45] Baro, [46] Cœnalis, [47] Nozorenus, & [48] Robortellus, in hac ſunt potius ſententia, vt hi libri non modo non ſint Romani illius veteris, ſed nec quidem ſecundi, & recentioris Feneſtellæ, verùm alicuius alterius, antiquitatis ſtudioſi, in cuius tamen nomine non conueniunt: [49] Bredebachius ſuſpicatur eos olim alicubi in bibliotheca repertos, & argumenti nobilitate vtilitateque valde placuiſſe: verùm quòd auctorem haberent nullis alijs ſcriptis celebrem, librarios, quò vendibilior eſ-

ſet

[29] In Cronic.
[30] Commét. vrban. li. xvj
[31] d. l. ij. verſ. Et quia mag. & verſ. Deinde cum eſſet
[32] Hiſt. iur. ciuilis lib. ij. c. de trib. & lib. iij. de prçt. edict.
[33] In ſcholijs in ſex. Rufú. & in Caſsiod. cõſules freq.
[34] In Iuſtinian. meth. iu. in pr.
[35] § Prçtorú quoq; inſtit. de iur. nat. gent. & ciu.
[36] In enchiridio biblioth. Geſn. & ad viros illuſtres Plinij freq.
[37] In d. præf.
[38] de antiquitate & rebus Ethrur. li. iij. tab. iiij.
[39] Dialog. iij. in Pogg.
[40] lect. antiq. lib. xxiiij. c. v
[41] d. præfat.
[42] De verb. ſig. li. iiij. verſus. poſtremo fuere.
[43] d. lib. v. cap. de offic. quæſt.
[44] In Comment. In orat. Cicer. pro Au. Cecinna. Verſ. Iudicio centumuir.
[45] d. l. v. ca.
[46] d. perioch. j.
[47] In append. Geſn. & Lycoſth.
[48] In præfatione lib. de victu & morib. pop. Rom.
[49] d. præfat.

ſet merx, deleto veri auctoris nomine, ſcripſiſ-
ſe L. Feneſtellæ, quòd hoc nomen & anti- 50 d.verſ. Po ſtremo fuere
quum eſſe ſcirent, & celebre. [50] Alciatus
Pomponium Lætum ex varijs auctoribus eos
in quandam farraginem compoſuiſſe exiſtimat,
indito quoque L. Feneſtellæ titulo, vt aui-
diùs legerentur, eoque nomine vendibilio-
res, & impreſſoribus lucroſiores fierent, id-
que ſe à Iano Parrhaſio non ſemel accepiſſe
ait, qui ſuam quoque ea in re operam ſe illi ad- 51 d.l. vnica.
hibuiſſe teſtabatur: Meminit [51] Vacca, [52] Pel- 52 d.verſ.Iu-
litarius, & [53] Baro. [54] Franciſcus autem Robor- dicio centū-uir.
tellus, Poggij Florentini libellos eſſe aſſerit, 53 d.l.v.ca.
habere enim ſe manuſcriptos domi, in quo il- 54 d.præfat. 55 d.perioch.
lius nominis eſt inſcriptio. [55] Cœnalis verò, 56 d.append.
& [56] Nozorenus Andreæ Dominico Flocco
Florentino, hanc fœturam tribuendam putant:
Nam & hic, aiunt, de Magiſtratibus vrbis Ro-
mæ ſcripſit.

Quod cùm nuper deliberandus apud ſen-
ſum meum diſputaſſem, & non proletarios,
& capite cenſos, Iuſtinianeos, inquam, & cate-
chumenos: ſed claſſicos, & aſſiduos in re lite-
raria auctores, in ea eſſe hæreſi animaduertiſ-
ſem, hanc tantorum auctorum litem, nulla de-
mum alia ratione diſcuſſum iri ratus, quàm ſi
vetus, & calamo exaratum exemplar obtigiſ-
ſet: Cùm carie ſituque obſitas ſchedas nu-
per luſtrandi animum indutus, exemplaribus
conquirendis, apud quæ verum auctoris no-
men reſideret, operam darem, commodùm tan-
dem,

dem, & peroportunè accidit, vt ex bibliotheca celebris memoriæ D. Georgij Temſicij, venerandæ antiquitatis exemplar acciperem. Forte cognati eius D. Iacobi Temſicij fato pridem functi literaria ſuppellex ad hæreditariam deducebatur auctionem, & vtriuſque bibliothecam variè diſpergebat venditionis incertæ licentioſa fortuna. Ibi tum ego in corona licitantium aceruo chartarum obrutum, fruſtra animoſis aliquod contrà nitentibus prçſtinatoribus, inſignem hunc antiquitatis theſaurum, nempe non modò pulcherrimis characteribus poſteritati commendatum, ſed fideli quoque chirographo conſignatum D. Donatiani Reipub. Brugenſ. annis ab hinc plus minus centum archigrammatei, redemi, ea fide dico exaratum exemplar, vt poſthac de vero auctoris nomine & titulo, neminem amplius dubitaturum exiſtimem. Sanè bene peruicax & durus ſit, neceſſe eſt, qui non ſtatim vtroque pollice huic nomini faueat, & animæ Andreæ noſtri actutùm bene ominetur, quod fuſiùs, & campo latiore docebo in adnotationibus, quas in hos libellos propediem dabo luci, ne quis auſu temerario impoſterùm eos pergat deprauare. Tantiſper fruamini ijſdem, & diligenter perpurgatis, & in integrum reſtitutis, hiſtoriam nempe vniuerſi ſtatus Romani per omnes politiæ formas immutati concinnè explicant. Neque enim hîc, quæ lectorem valde remorari queant, erit offendere: verba inuerſa,

&

& omiſſa, & genuinis deperditis notha ſubſtituta, ac monſtroſè lacerata, & in locum alienum tranſlata, vti profectò in omnibus exemplaribus eſt, quæ hactenus à Cheuallonio, Brilingero, Curione, Stephano, Ceruicorno, Calderio, Bredebachio, & Gymnico ſunt inuulgata, quanquam in illis reſtituendis non paruam aliquando operam nauauerint Camers, & Bredebachius, ſed deſtituti ſcriptis exemplaribus, ea quæ portitorum, vectorumque perfidia iamdudum perierunt, reſtituere haud potuêre. Multis enim retrò ſeculis, quo fato, hominum ne, an temporum vitio, neſcio, certe huius auctoris nihil habuimus, præter exangues, ac cadaueroſas reliquias, eaſque adeò truncas, & tam multis partibus laceras, deformataſque, vt vel à doctiſſimis, & antiquitatum obſeruantiſſimis, non ſint agnitæ: quod [57] Anton. Garro, & [58] Sabell. Pomponij diſcipuli, pleraque ex ijſdem in ſua horrea conuerrentes, vel cum puluiſculo, hoc eſt obelis, & aſteriſcis iugulata, confoſſa, & hiantia citantes, teſtatum faciunt. Sic, aiunt, tradit præceptor noſter Pomponius Lætus ad M. Pantagathum, & ille quiſquis eſt, qui Feneſtellæ nomine de Romanorum Magiſtratibus libellum edidit. ⁎ † ( ). Vnde ſanè illud planè eliquet, etiam ſi alia argumenta non admoueantur, parùm probabilem eſſe ſupradictam Alciati coniecturam, & fœdè lapſum eius teſtem Parrhaſium, & hos ſecutos niti baculo pluſquàm arundineo.

[57] d. l. ij. verſ. Ita decem & octo. de orig. iur.

[58] In Suetonium in vita Auguſti, ca. xxxvj. & in vita Vitell. cap. j. & Garro § poſtea aucta d. l. ij. de orig. iur.

Cœna-

Cœnalem autem & Nozorenum, adeoq́ue VVijtſium quoque (de Robortello nihil impreſentiarùm dicam, quàm luſcioſis illum vidiſſe oculis) inſigni & valido tibicine ſubſiſtere, exemplari nempe ſcripto, non lacero aliquo, ſed à capite ad calcem integro, ex quo nempe prohemia, & coronis hactenus prætermiſſà, ad hęc inuerſa, & omiſſa multa, ſuo ordine & nitori priſtino, nunc demum reſtituta ſunt. Quæ ſane omnia, Andreæ noſtri hunc eſſe natiuum & genuinum fœtum abundè ſatis eloquútur. Sed operam non attinet ludere, ipſum iam audiamus Andræam noſtrum præfantem, & originem ac progreſſum poteſtatum, altiùs exordientem, quàm hactenus.

ANDREÆ DOMINICI FLOCCI, FLORENTINI, IN LIBROS SVOS DE POTESTATIB. ROM. PRÆFATIO.

CVM per hos dies tantoperè ocio vacarem: vt quo illud ipſum negocio tererem, deliberationi locum darem, atque inceſsiſſet longè anteà cupido, quantumcunque hiſtoriarum poſſem, ſi quid occaſionis exiberetur lectitare, oblatam maturitatem nactus, diuerſorum hiſtoriæ ſcriptorum codices curiosè perlegi. Non enim eſt obſcurum, quæ ex rerum geſtarum cognitione emolumenta, quæ commoditates comparentur. Eſt enim humanarum actionum magiſtra hiſtoria, qua vna re minores, maiores natu prudentia æquare, ac etiam excellere facilè poſſunt. Sed de commoditate ſerioſæ hiſtoriæ, aliâs perſcripſimus. Igitur cùm penes eos, quos vetuſtatis aſſertores legerem, Romanarum Poteſtatuum mentio ſuccurreret, pro cuiuſque tamē propoſito, ac intentione tam ſtrictim, ac leuiter, vt vices earum ac poteſtates prorſus diſiectas, non facilè teneri poſſe, iudicarem, ſi quæcunque occurriſſent, quæ ad rem pertinere viderentur, carptim legerem, ac ſub vnius veluti corporis ſpeciem vn

dique collecta, ponerem: non me, hercle, rem inutilem facturum, mente agitaui: Fieri autem ſolet, vt noui, ac non ſemper, vt par eſt, curioſi veterum monumentorum inquiſitores, nudam quandam nullis ad rem intelligẽdam adiectis circumſtantijs, Dictatorum, ac Tribunorum, aut Aedilium, aut cuiuſcunque Magiſtratus commemorationem incurrant, eoſq́ue, veluti in ſalebra hærentes, affigi, rei quidem, aut nouitate, aut non ſatis plena recordatione offenſos: quo in numero, cùm meipſum eſſe comperiſſem, mihi pariter, cæteriſq́ue, hac haud multarum operarum ſuſceptione conſulere, inſtitui. Feci ergo prout ingenioli mei tulit mediocritas, commentariorumq́ue facultas obſecuta eſt, & vt quæque ad quamlibet poteſtatem pertinere, viſa ſunt, ita cuique adſcripſi, temporumq́ue rationem, quoad coniectura licuit, priſca poſterioribus anteponens, obſeruaui. Ad P. tuam ſcripta miſi, nemini me plura, aut potiora, debere ratus, quàm ei qui ampliſsimi viri, cui me prorſus voueram, vicem atque exemplar obtinere exiſtimatur. Nam ſi animorum coniunctio atque vnitas id efficit, vt & abſentes adſint, & egentes abundent, &, vt ait Cicero, mortui viuant, nullum profectò omnium mortalium, ipſum præter te, ex hac vera, ſingulariq́ue animorum vnitate, contingere mihi potuiſſe arbitror. Neque

hoc

hoc ipſum cuiquam difficile creditu fore videbitur, vniuerſis mortalibus ſummam tuam beneuolentiam liquidò perſpicientibus. Quis igitur iam admiretur, ſi meas omnes curas, ſtudia, cogitationesque, in vnam P. tuam contulerim, quæ potius tuo hæreditario iure, quam noſtra opera, aut liberalitate, tibi vendicare videaris. Ad paternitatis verò tuæ cognitionem, horum nihil pertinere, nemo ambigit, quandoquidem tecum agitur, quem & ſtudiorum humanitatis, totiusque diuini, humanique iuris peritiſsimum, ſciunt omnes, & huius ætatis facilè principem. Itaque tibi, vt iſta ipſe videres, probè omnia tenenti, nihil quicquam attinebat, me verò decebat, vt officio erga te meo ſatisfacerem. Vt enim plurimorum, etiam inopum, plerunque munuſcula, quorum minimè omnes indigemus, libentiſsimè accipimus, quod illorum quidem, minimè verò noſtra, intereſſe arbitremur, quóque illorum humanitatem, ac erga nos liberalitatem experiamur, néue inhumani, agreſtésve eſſe videamur: Ita & ſi hæc officiola noſtra parum, aut nihil emolumenti ad P. tuam afferant, magnoperè tamen mea intereſſe cenſeo, in P. tuam aliquo pacto beneficum eſſe, atque liberalem. Ea tamen ratione potiſsimum noſtra hæc munuſcula, quàm minimè paternitati tuæ ingrata eſſe debent, quod à nobis ipſis, non verò à

 fortu-

fortuna noſtra manare, perinde vt cætera videantur. Suſcipies ergo hæc P. præſtantiſſime, ea ad te potiſſimum ratione collata, vt honoris, ac reuerentiæ, in P. tuam noſtræ monumentum, non autem emolumentum allatura cenſeas. Rem ergo ipſam iamdudum conſiderans, natura ac ratione rerum introductum eſſe obſeruaui, vt potioribus ſemper ea quæ ſunt humiliora, magiſque imbecilla, obſequantur, vtpote exiſtimare videantur, ſalutem ſuam eorum in præſidio repoſitam eſſe, qui viribus, quique conſilio excellerent. Quamobrem eos ſemper tauros armenta ſequi cernimus, qui robore, ac ferocia, cæteris longè anteſtare videntur, quod & in apibus quidem cernere perſpicuum: quæ & corporis, animique viribus ampliorem, & ſquamis illuſtriorem conſpicatæ, illi cedunt, illi obſequuntur, illum verentur, atque in omni quidem proſequuntur diſcrimine. Illo tandem incolumi, vires animique ad prælia infracti, eodem occiſo, paſſi, palanteſque effunduntur, quibus quis non veſtigia aliqua mentis, conſiliique ineſſe arbitretur? Cæterùm cùm ab initio humanum genus neque legibus, neque inſtitutis, neque vllius imperio regeretur, ſed paſſim per agros ritu pecudum vagaretur, humanæ gentes nactæ pleroſque, vt fit, elegantioris ingenij, ac præſtantioris naturæ viros, quorum oratione,

tione, prudentiaq́ue allēctæ, & delinitæ è ſpecubus, atque arborum libris, ad tecta, tiguriaq́ue molienda compulſæ, ciuilesq́ue ſocietates ineundas, quibus humanæ conditioni bene conſuleretur, venerari illos, imperioq́ue dignos iudicare cœperunt: quod ſane plerique Poëtarum meminiſſe volentes, ſuaui mulcentis liræ cantu, quoſdam, vt Amphiona, & Orphæum, ſyluas, ſaxaq́ue ſecum traxiſſe ſequacia, cecinerunt. Quocirca noſter [1] *Horatius:*

Syluestres (inquit) homines, ſacer, interpreſq́ue deorum
Cædibus, & victu fœdo, deterruit Orpheus
Dictus ob hoc lenire tigreis, rapidosq́ue leones.

Fœlicia profectò ea ſecula appellarim, quibus (non dico res cùm eſſent inter mortales vniuerſæ communes) non potentiores, (cùm nemini milites ac ſatellites eſſent) cæterùm meliores, eloquentioresq́ue duntaxat, poteſtate fungerentur: quorum ſola eminens virtus, & oratio præſtantior, quæ cæteris imperitarent, digna fore crederentur. Ex quo id eueniebat, vt eatenus duntaxat poſſe hi ſibi perſuaderent, quatenus decere ipſos per iuſtitiam, integritatemq́ue animaduerterent, neque ſuarum partium eſſe arbitrarentur, quod non & decori, & communi vſui

[1] In art. poet.

conſonum ducerent. Quos ſanè homines ea tempeſtate Poſidonius[2] *putabat fuiſſe ſapientes, ſequebantur enim naturam optimam viuendi ducem, cuius ope ſi quædam inſita, innataque virtutum ſemina proſequeremur, ad beatã nos prope vitam ipſa perducerent. Eos tandem Magiſtratus iure gentium inſtitutos, iura, moresque ciuitatum excepere: ex quo factum, vt alij plurium, alij pauciorum, nonnulli vnius arbitrio regantur. Hinc Lacedemone Ephori, Romæ Conſules, alibi Priores Rempub. gubernant, qui cùm munera gerunt ex priuatis, publicæ perſonæ nuncupantur. Romanis legibus cautum eſt: vt omnes poteſtatem obtinentes, quò plus apud eos maieſtatis eſſet, ſacroſancti appellarentur: vt ſi quis quempiam in Magiſtratu violaſſet, religio iudicaretur, quanquam minores Magiſtratus, qui vocationem præhenſionemque non habent, vt Quæſtor, Aedilis, à priuato in ius vocare ad Prætorem fas fuit. Quo iure M. Leuinius Aedilis, in ius ad Prætorem ductus eſt. Tantumque ei ordini tribui voluere, vt naturali neceßitudini, publica Magiſtratuum iura longè præponerent. Q. Fabius Maximus ad Q. filium conſulare imperium gerentem, legatus eſt miſſus, qui cum conſuli filio in via occurriſſet, de equo non deſcendit: cùm lictor reuerentia motus, id patriæ auctoritati, propriæ-*

[2] Apud Senec. Epiſt. ad Lucill. lib. xiiij. epiſt. xcj.

propriæq́; amplitudini, dari impunè crederet, filius lictorem vocauit, & vt patrem de equo deſcendere iuberet, imperauit: pater collaudato filio, imperio paruit, neque inquit, mi fili, hoc feci, quia, quod ſummo deberetur imperio, contemnerem, cæterùm vti experirer, an ſcires conſulem agere. Publicam ergo neceſsitudinem, priuata potiorem eſſe ſatis conſtat, & ſi plerunque concedit naturali vinculo, publica auctoritas. Ad Taurum philoſophum Athenis ob celebritatem nominis, Cretæ Prouinciæ Præſidem, ac cum eo patrem Præſidis viſum veniſſe dicuntur: Taurumq́ue in limine ædis ſedentem, cum pleriſque ſectatoribus ſuis, improuiſum offendiſſe, philoſophum Præſidis patrem ad ſimul ſedendum inuitauiſſe, patrem verò Præſidis, quin illum potius, qui Magiſtratus populi Romani eſſet, ſedere iuberet, reſpondiſſe: inſtitiſſe tamen Taurum, vti ſederet tantiſper pater Præſidis, dum allata fuiſſet altera ſella filio, diſceptaſſentq́ue cui nam decentius eo in officio eſſet concedendum, interea ea de re ſermonem habuiſſe: duo eſſe officiorum genera, vnum quod publicè, alterum quod priuatim exiberetur, collegiſſe: in his quæ publica eſſent, filium, dum in Magiſtratu eſſet, ſine controuerſia præferendum eſſe: in familiaribus autem conuiuijs, in funeribus liberorum, in ſponſalitijs eorundem,

dem, cæteriſque officijs id genus, publica quidem, naturalia inter iura, quieſcere. Adhibebit ergo Magiſtratum ſortitus, omnem diligentiam, vt non modò iniunctæ auctoritatis fines tueatur, ſed vt propria dignitate, maieſtatem commiſſæ illi poteſtati accreſcat: néue adeò ſe in adeundo facilem præbeat, poteſtatiq́ue ſuæ ſubiectos, adeò ſibi familiares faciat, vt Magiſtratus proinde contemptibilis exoriatur. Contrà adeò faſtum, & inſolentiam euitet, ne quem reum, à peroratione propriæ cauſæ deterreat. In litibus verò excutiendis, caueat, ne vel iracundia aduerſus reos incandeat, aut calamitoſorum precibus illachrimetur: id enim cum inconſtantis hominis eſt, tum magnoperè animi ſui motum, quorſum euadat in medium ponentis: Vultus enim habitudo, ac ſpecies, ipſum, vt dixi, animi motum, & affectum, manifeſtè arguit. Proinde iuſtitiæ, qua nihil debet apud ipſum eſſe conſtantius, ſcrupulum quendam inijcit. Maiores Romanorum tantam in conſeruanda imperij ſui maieſtate, diligentiam adhibuerunt, vt ne Græcis quidem, aut Barbaris, niſi Latinè reſponſa darent, quo latinæ linguæ honos, venerabilior apud omnes gentes diffunderetur. Quorſum hæc tandem? Quia eò maximè Magiſtratui parebimus, quò penes illum plus maieſtatis animaduertemus. Sunt

enim

enim aut viuentium legum inſtar, aut earum quæ ſcriptæ, aut non ſcriptæ ſunt, diligentes adminiſtratores. Sed quis profectò non omnibus debet legibus morem gerere? quippe quæ, niſi ſanctæ, & honeſtæ ſint, non ſunt appellandæ leges. Inde verò plurimùm vſui ſunt Magiſtratus, quod leges in ciuitate eſſe parum ſit, niſi ſint per quos earum diſpoſitiones, inſtitutaque ſeruentur. Oportet ergo, qui Magiſtratus ſummos gerunt, quoniam ſunt interpretes, ac conditores legum, ſapientes eſſe: totius enim diuini, humaniq́ue iuris adminiſtri ſunt, vtiliumq́ue, atque honeſtorum, à ſuis contrarijs diligentes excuſſores: Leges enim quæ de diuinis, humanisq́ue negocijs conſultant, à ſapientibus, vt Moſe, Solone, ac Lycurgo ortæ ſunt: neque equidem iniuria, ritè enim imperare alteri nemo poteſt, niſi imperare ſibi, cohibere iracundiam, refrenare libidinem, cupiditates omnes infringere, didicerit primùm. Quam quidem mentem, ac conditionem, ſoli ſapienti aſsignandam exiſtimo. Quod ſanè animaduertens Ariſtoteles, in ijs libris, quos [3] Ethicorum inſcripſit, Magiſtratum virum oſtendere aſſerit, quaſi ſingulari quadam virtute, atque integritate præditos exigat, quos cum dignitate, & auctoritate aliquo in Magiſtratu verſari oportet. Hoc ſi ætati noſtræ

[3] Lib. v. ca. 1. in fi.

concederetur, vt ſolis poteſtatibus optimis viris vteremur, res hominum profectò ſeſe melius haberent, nec quotidie humana diuinis ſimul confundi, ac miſceri videremus. Primis illis, quibus huiuſcemodi prærogatiuam contigiſſe dixi, eò fortaſſe fœliciores, quò exquiſitiora, atque eruditiora, quàm illi ſecula nacti fuiſſemus. Sed ne ſcrupuloſam, nimisque arduam rem requirere videar, ſi poteſtatem obtinentes vniuerſos ſapientes exigam, quos fingi, quàm reperiri, facilius ſit, ſatis, ſuperque, humanis rebus conſultum putem, ſi vel viris bonis cuiuſmodi communis vita vtitur, ac ſæpe vſa eſt, pro poteſtatibus vteremur. Id verò, quod dixi, haud facile ſapientes viros reperiri poſſe, qui Magiſtratus obirent, priſci latores legum mente agitantes, inſtituere, vt quamlibet poteſtatem inituri rem publicam, quam in manibus haberent, ſaluam fore ſatisdarent, ne minoris rei publicæ momenti, quàm pupillare patrimonium fore cenſeretur: Quod etiam hac ætate viuentium moribus comprobari cernitur, vt à pleriſque fideiuſſores, à nonnullis iuſiurandum rem pub. ſaluam fore exigantur. Si quid aut per dolum, aut alias ſordes, in Magiſtratu ipſi admiſerint, maiores tandem Magiſtratus officio perfuncti, minores verò & in ipſa poteſtate, apud Prætorem conueniun-

ueniuntur: quòque magis liceret rei publicæ bonis viris pro magiſtratibus vti, lege Iulia de ambitu eos damnandos cenſuerunt, qui aut prece, aut precio, aut qualibet humana gratia, ad Magiſtratus irrepſiſſent. M. etiam Catonem Senatui perſuaſiſſe ferunt, vti omnes Conſules deſignati, iudicij exactam excuſsionem, tametſi nemo accuſator comparuiſſet, ſubirent: quóminus nullo inuento accuſatore, lex de ambitu circumueniretur. Neque per errorem, aut imprudentiam, in Magiſtratu admiſſum, impunè eſſe voluerunt, ſed cauſæ, litisúe, qua de agitur, æſtimatione plectendos eſſe cenſuerunt. Sed vbi de poteſtatibus agere inſtitui, non eſt rei ipſius prætermittenda definitio. Eſt autem poteſtas, facultas à populo, ſiue à principe publicè data, iuris dicundi, & æquitatis ſtatuendæ, in eos qui cuique ditioni ſuppoſiti ſunt. Dictum verò Magiſtratum, Varro ait, à Magiſtro populi: is autem eſt dictator, reliqui autem quod minores quàm hi Magiſtri, Magiſtratus eadem figura, qua ab alba albatus, dicuntur. Poteſtatis verò nomen, quoniam à ſe eſt, latius, antiquiusq́ue eſt, & ſi vera eſt Varronis denominatio, ante Magiſtrum populi, id eſt, dictatorem non Magiſtratus, ſed poteſtates appellabantur: eam etiam ob rem Gracchanus quiſpiam, cuius præter nomen aliud

aliud non teneo, cum de Magiſtratibus ſcripſiſſet, librum ipſum de poteſtatibus inſcripſit. Qua ſanè ratione commentariolos noſtros, de poteſtatibus inſcribi, congruentiùs viſum eſt, quod ſub ea appellatione & ſacerdotia, & priores dictatore Magiſtratus, facilè contineantur. Sunt autem poteſtatum Romanarum nonnullæ ſpecies, de quibus ſingulatim à ſacerdotibus, vtpote dignioribus inſtituentes, videamus.

ANDREÆ DOMINICI FLOCCI, FLORENTINI, DE POTESTATIBVS ROMANORVM, LIBER I.

De Lupercis, Sacerdotibus Fauni. CAP. I.

OMNIVM DEORVM, quos vetus Romanorum ſuperſtitio excoluit, primùm Pani Licæo, ſeu Faunum illum, ſeu potius Syluanum vocari placet, per Lupercos rem diuinam, lupercalesque ludos fe ciſſe apud vetuſtatis aſſertores conſtat. Ea ſiquidem ſacrorum genera, ab Euandro Rege, qui ab Arcadia profugus, in eum locum venerat, quo tandem Romanæ præfuit arci, ad noſtros primùm delata, ac celebrata fuiſſe feruntur. Hunc Pana nudos paſtores, quorum tunc præcipuum numen fuit, ac demùm etiam Lupercos, ſummos viros venerari, mos fuit, loraque pro manibus ferre, quibus obuios quoſque cæderent, laruisque tectas facies portare. Cur autem nudi hunc deum colerent, pleraque è curriculo vetuſtatis ad nos vſque delapſa, referuntur. Siue enim quod ipſi deo, qui nudus fingitur, ſuæ celeritati eo pacto longè aptior, nudos etiam habere miniſtros placeat, ſiue quod Arca-

Arcades omnium populorum, qui Græciam coluerunt, longé vetuſtiſſimi, feris adhuc ſimilem vitam ſyluis ac montibus agentes, legis expertes, artiſque, primò hunc deum venerati patrium cultum, auitoſque nudos habitus ſignantes referre voluerunt, haud ſatis conſtat. Nonnulli verò Omphalem vxorem Herculis ab hoc Fauno viſum, ac per ardorem libidinis concupitam, aſſerunt. Fortè enim per ſyluas & amœna nemorum, æſtus leuandi cauſa, vnà cum dilectiſſima coniuge Hercules vagabatur. Videt ergo elegantiſſimam forma mulierem ab altæ rupis ſpecula ſenex deus, ergo illorum veſtigia, eminus licet, obſeruare inſtitit. Illi antrum per ſyluas ducendæ nocti aptiſſimum petunt. Interea mulier, dum quieſcendi tempus aduenit, pellem leonis, Herculis ritu, de more aptat humeris, claua etiam illius de manu aſſumpta.
Tali habitu præditam ſomnus aggreditur, erant autem duo parati coniugibus lecti, eò quòd poſtridie Libero patri rem diuinam facturi erant, ſeorſum cubituris. Noctu ergo Syluanus fallendi cuſtodis occaſionem nactus, clam thalamum ingreditur, primoque congreſſu fortunatus futurus, puellæ thorum tenet, manuque tentans, vt noctu fit, horridum leonis tegmen inuenit. Ratus ergo cubare ibi Herculem, ad aliud cubile ire pergit, quod cùm ſenſiſſet, mollibus ſtratum puellaribuſque delitijs aptius, ſtragula veſte ſenſim amota, dum libidinea ardens manu palparet Herculem, vix dum Hirti

corpo-

corporis horrorem hauſerat, experrectus Hercules, manu reiectum, toto antro fuſum iaculat, quo pro ſtrepitu ſomno puella diſcuſſo, lumina accendit. Lumine ergo Syluano prodito, nudus, ac ſemiruptos vix attollens humo humeros, in ſyluas detruſus eſt: ea ergo ratione perpetuò execratis veſtibus, quibus tam turpiter luſus eſſet, eaſdem ſuis à ſacris procul abfore, conſtituit. Plerique huiuſce rei cauſam aſſignant, quod Romulo eadem ſacra celebrante, medioque Solis ardore, corpus de more exercente, cùm nunciatum fuiſſet latrones, prædas agere, ita vt erat nudus, accurrerit, comprehenſisque prædatoribus, pecora abacta redemerit. Eius facinoris, quod nudus geſſerat, perpetuum argumentum, corporum ea ſacra celebrantium, nuditatem eſſe placuit. Vtcunque ſe res habuerit, in tempora tamen vſque C. Iulij Cæſaris, huiuſcemodi obſeruationem perueniſſe conſtat. Ea enim ſacra, cùm ſedens Cæſar dictator ſpectaret, atque inter eos, qui ſolemnia celebrabant, curreret M. Antonius, is qui poſtea triumuir fuit, aiunt lauream coronam, cui diadema annexum eſſet, capiti Cæſaris imponere, conatum fuiſſe, quod cùm Cæſar moto capite reieciſſet, ſtatuæ ipſius cunctis frementibus impoſuiſſe. De nomine vero Lupercalium non etiam ſatis conuenit. Pleriſque enim inditum hoc nomen, quod huius inuocatione lupi à ſtabulis arcerentur, viſum eſt. Alij templum ipſum, in quo hic deus colitur, Lupercal

vo-

Aeneid.viij [1] vocant, quocirca noſter [1] Virgilius:

Et gelida (inquit) monſtrat ſub rupe Lupercal.

Eiq́ue loco à lupa Romuli nutrice, quod eo in loco Romulum, & Remum paruulos educare, reperta ſit, factum nomen Lupercalis putant. Nec deſunt, qui à Lycæo Arcadiæ monte, vbi præcipuè ea ſuperſtitio præuiguit (quãdo quod nos lupum, illi λύκον vocant) Lupercal ipſum cognominatum arbitrentur. Præcipuam verò huic deo, dicatisq́ue ei ſacerdotibus venerationem, ea ex parte tributam ferunt, quod quæ mulieres ex ſuis viris vel concipere, vel conceptos fœtus edere nequirent, ad Lupercos confugiebant. Quæ vbi loris ex tergore hirci ſectis nudos humeros cæſæ fuiſſent, è veſtigio grauidæ, aut effœtæ, efficiebantur. Hæc ſolemnia quinto decimo die Cal. Februarias celebrari, vt [2] Ouidius in Faſtorum Libris refert, moris fuit. De Lupercis hæc habui, quæ dicerem, de Potitijs & Pinarijs videamus.

[2] Faſt.ij.

De Potitijs, & Pinarijs Sacerdotibus Herculis.

CAP. II.

EAdem poteſtate, Euandro palatinum tenente, Herculem, Gerione interempto, per eadem loca mira ſpecie boum armenta, abegiſſe commemorant. Ac cùm propè Tyberim fluuium, quà præ ſe armentum agens, traieciſſet, loco vt herbido reficeret boues, ipſeq́ue itinere defeſſus, procubuiſſet, & eundem vino, ciboq́ue grauatum ſopor oppreſſiſſet.

Cacus

Cacus paſtor loci accola viribus ferox, captus pulchritudine boum, prædam auertere inſtituit, ac ne ſi eam prædam agendo, in ſpeluncam compuliſſet, veſtigia ipſa eò quærentem dominum ducerent, auerſus eximium quemque pulchritudine caudis in ſpeluncam traxit. At verò Hercules ad primam auroram ſomno excitus, cùm gregem perluſtraſſet oculis, partemque abeſſe numero ſenſiſſet, perrexit ad proximam ſpeluncam, ſi fortè eò veſtigia ferrent, quæ vbi omnia foras verſa, videt, nec in partem aliam ferre, confuſus atque incertus animi, ex loco infeſto agere, porro armentum occepit. Inde cùm actæ boues quædam, vt fit, ad deſiderium relictarum, mugiſſent, reddita incluſarum ex ſpelunca boum vox Herculem cõuertit. Quem cùm vadentem ad ſpeluncam Cacus vi prohibere conatus eſſet, ictus claua, fidem paſtorum nequicquàm inuocans, morte occubuit. Euander, qui tum temporis ea ex Peloponneſo profugus, auctoritate magis, quàm imperio regebat loca, venerabilis vir miraculo literarum, rei nouæ inter rudes artium homines, venerabilior diuinitate credita matris Carmẽtæ, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam aduentum miratæ hæ gentes fuerant, concurſu paſtorum trepidantium, circa aduenam manifeſtæ cædis reum excitus, poſtquam facinus, facinoriſque cauſam audiuit, habitum, formamque viri aliquanto ampliorem, auguſtioremque humana intuens, rogitat qui vir eſſet. Vbi nomen pa-

tremque,ac patriam audiuit: Ioue nate Hercules, ſalue, inquit, te mihi mater veridica interpres deûm, auctturum cæleſtium numerum cecinit, tibique aram hîc dicatum iri, quam opulentiſſima olim in terris gens, maximam vocet, tuoque ritu colat. Dextra Hercules data, accipere ſe omen, impleturumque fata, ara condita, ac dicata ait. Ibi tum primum boue eximia capta de grege, ſacrum Potitijs, ac Pinarijs, quæ tum familiæ maximè inclitæ ea tenebant loca, dedit. Ac tum fortè ita euenit, vt Potitij, vt ait
[1] Lib. 1. Liuius, [1] ad tempus præſto eſſent, ijque exta potirentur. Pinarij, extis adeſis, ad cæteram venirent dapem: Inde inſtitutum manſit, donec Pinarium genus fuit, ne extis ſolennibus veſcerentur. Potitij ab Euandro edocti, antiſtites per multas ætates huius ſacris præfuerunt, donec tradito ſeruis publicis ſolenni familiæ miniſterio, Potitiorum ac Pinariorum genus omne interijt. Id enim Appius Claudius cùm eſſet cenſor, effecit hiſce familijs infenſus: ob idque ira deorum (vt creditur) luminibus orbatus eſt. Sed de his ſatis: iam de ſacerdotio fratrum arualium conſono etiam rationi temporum pauca videamus.

De Fratribus Arualibus Accæ Larentiæ.

CAP. III.

FRatres aruales, vt fruges ferrent arua, veteres coluiſſe Romanos memoriæ traditum eſt. Huius verò religionis Romulum ipſum parentem vrbis, auctorem extitiſſe reperio.

rio. Nam cùm Acca Larentia, nutrix Romuli, corpore ſuo quæſtum in vulgus faceret, eoq́ue pacto grandem pecuniam conſtipaſſet, ex duodecimq́ue liberis quos ſuſceperat, vnum morte amiſiſſet, Romulum in demortui locum adoptionis iure ſuccreſſiſſe, decedens tandem populum Romanum inſtituit hæredem. Cuius liberalitatis, regiæq́ue affinitatis memor, populus Romanus mulieris nomen in faſtis retulit, liberos fratres aruales à ferendo, & ab aruis appellauit. Ex quo tempore ſacerdotium manſit fratrum arualium, hiq́ue duodecim numero fuiſſe dicuntur, eiq́ue ſacerdotio inſigne tribuit albas infulas, & ſpiceam coronam. His paucis de fratrum arualium ſacerdotio libatis, de Auguribus nonnihil inſpiciamus.

De Auguribus diuinæ mentis internuncijs.
CAP. IIII.

EOdem ferè tempore, & diſciplina, & religio augurãdi ex Ethruſcis, penes quos ea diſciplina præcipua ac longè peculiaris fuit, ad Romanos commigrauit. Virum enim quempiam, cuius nomen vetuſtate obſoleuiſſe [1] Naſo poëta ait, aſyli (vt reor) alliciente inductione, exulem ex Ethruria Romam veniſſe perhibent. Cuius opera Romulum, Remumq́ue vſos, cum de imponendo vrbi nomine, vnà contenderent opinione deducor, quanquam [2] M. Cicero in his Libris, quos inſcripſit de diuinatione, etiam ipſum Romulum iſtam

[1] Faſtor. 3.
[2] lib. 1.

ipſam auguralem diſciplinam percalluiſſe aſſerit. A Numa verò, qui Romulo ſucceſſit, perpetuum ſacerdotij inſigne conſtitutum eſt. De ritu verò inaugurandi, ſi vnum in caſum pleraque edixero, eadem ad omnes cæteros referri poterunt. Ea quidem, quantum ex veterum monumentis collegi, huiuſcemodi fuit obſeruatio. Augur in arcem, ſiue in editum quendam locum inaugurandum ducebat, ſedere ſuper lapidem, meridiem verſus, iubebat, atque ad læuam ſedens, baculum in manu recuruum, quod lituum vocant, tenet: inde vbi proſpectu in vrbem agrumque capto, deos precatus, regiones ab oriente ad occaſum determinat, dextras ad meridiem, læuas ad Septentrionem partes eſſe dicit. Signum contra, quod oculi conſpectum longiſſimè ferunt, animo finit: tum lituo in læuam tranſlato, dextra in caput eius, qui inauguratur poſita, ita precatur. Iupiter pater, ſi fas eſt, hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, regem Romæ eſſe, vti tua nobis ſigna certa ac clara ſint inter eos fines quos feci, tum peragit verbis auſpicia, quæ mitti vellet, quibus miſſis, Numa de templo (ita enim deſignatas lituo æthereas regiones vocant) declaratus Rex deſcendit. Quam quidem declarandi ſeu inaugurandi regis formulam, ad cætera quæque, vt dixi, trahi facilè licet. Huic diſciplinæ, peritia Actij Nauij auguris, permultum fidei, auctoritatiſque acceſſit. Nam cùm Priſcus Tarquinius aliqua, præter maiorum iuſtituta inaugura-

guratò mutare,pleraque etiam de nouo condere pergeret, negare Actius Nauius, inclitus ea tempeſtate augur, inauſpicatò ea fieri oportere. Quare ira regi mota, ludens artem (vt ferunt) agedùm, inquit,diuine tu, inaugura: fieri ne poſſit, quod ego nunc mente concipio. cùm ille in augurio rem expertus fieri poſſe, dixiſſet, atqui hoc animo agitaui,inquit,te nouacula cotem diſciſſurum. Cape ergo hoc & perage, quod aues tuæ fieri poſſe, portendunt. Tum illum incunctanter diſcidiſſe cotem ferunt,ſtatuamque Actij Nauij capite velato,quo in loco res acta eſt in comitio, in ipſis gradibus ad læuam curiæ poſitam fuiſſe, cotemque eandem cum illa ipſa nouacula in manibus, vt eius rei etiam apud poſteros monumentum exiſteret. Augurijs ergo ſacerdotioque augurum, vt ait Liuius,[3] itemque in libris de diuinatione 3 Lib. 1. Cicero,[4] tantum auctoritatis, venerationiſque 4. acceſſit, vt nihil domi,foriſque poſtea, niſi auſpicatò gereretur, & ad viros ſapientia, nobilitateque primarios quoſque id ſacerdotium deferretur. Et cùm Tiberius Gracchus pater Tiberij & Caij Gracchorum comitia conſularia habuiſſet, dicerentque Ethruſci augures rem in augurio experti, vitio conſules creatos eſſe, Gracchuſque vt ineptos,inſanosque Ethruſcos inceſſeret,abiens in prouinciam,ſenatui reſcripſit, veridicos, non autem inſanos Ethruſcos eſſe, qui conſules præſentes vitio à ſe creatos dicerent. Nam cùm ſe collegiſſet, meminiſſe ſe

locum tabernaculo extra pomerium præter maiorum conſuetudinem delegiſſe. Quamobrem abdicare ſe conſulatu compulſi ſunt. Vt autem veneratio huic ordini auctoritasque, ita & numerus ipſe adeò creuit, vt collegium augurum appellaretur. Nam cùm ab initio tres tantùm creari cœpiſſent, ex tribus ſcilicet tribubus, Rãnenſium, Tatienſium, & Lucerum, & obtinuiſſet, cùm mutaretur numerus, impari tantùm numero creari, vtcunque tamen id fieret, quatuor numero præter maiorum conſuetudinem creari cœpti ſunt. Tandem cùm plebs quorumlibet honorum partem ſuam in ſenatu, & in foro nacta eſſet, per Tribunos egit, vt ei, ad ſacerdotia quoque velut ad cætera, curſus aperiretur. Idque poſt multa certamina, variasque ſeditiones obtinuit, vt ad quatuor ſcilicet patritios, quinque ex plebe addicerentur. Factumque hoc fuit M. Valerio, & Q. Apuleio conſulibus. His de auguribus dictis, de flaminibus videamus.

De Flaminibus rei diuinæ perpetuò addictis.

CAP. V.

Sicharbas idem qui Sicheus Didonis coniũx, teſte Ser. Aeneid. 1. ibi ille Sicheũ im pi9 ante aras.

[1] Æneid. j. & iij.

FLaminem Dialem primus Numa Pompilius Romæ Rex creauit, cùm anteà Reges, Pontificum, Regumque munera promiſcuè obirent, vt de Priamo & Sichar. apud Virgilium [1] cernimus, Rex (etiam) Auius (vt idem Poëta ait) Rex idem hominum, phœbique ſacerdos fuit. Idque etiam à minoribus tan-

tandem, vt à C. Cæſare, diuo Auguſto, multiſque deinceps principibus, quos pontificatus maximi titulis inſignitos videmus, obſeruatum eſt. Cæterùm Numa plures in vrbe Romulo quam ſibi ſimiles reges fore ratus, qui relicta religionis cura, bellorum potius negocijs diſtinerentur, ſacerdotes quos appellauit Flamines, qui rei diuinæ iugiter addicti eſſent, multis Deorum alligauit. Flaminem vnum Ioui, quem Dialem vocant, Marti vnum, Quirino vnum. Dictus autem Flamen Dialis eſt, vt[2] Varro ait, quod in Latio capite velato erat, & caput filo lanæ præcinctum habebat, à quo Flamen quaſi filamen appellabatur. Dialis autem à Dioue, quod eſt, iuuans deus. Cæteri Flamines eius, cui præſident numini, decorantur titulis. Numa Dialem præſertim, inſigni veſte, curulique ſella adornauit. Hic ſolus, vt Varro ait[3], album habet galerum, vel ex eo quod maximus eſt, vel quod Ioui immolationem alba hoſtia fieri oporteat. Pleraque etiam huic pontificio iure tributa eſſe Aul. Gellius[4] in commentarijs noctium atticarum, ſcriptũ reliquit. E quo enim vehi Flamines eſt religio. Item iurare Dialem fas nunquam eſt. Ignem è flaminia niſi vbi ſacrum eſt, efferri ius non eſt. Vinctum, ſi ædes eius introierit, ſolui neceſſarium eſt, & vincula per impluuium in tegulas ſubduci, atque inde foras demitti debent. Nodum neque in apice, neque in cinctu, neque in alia parte vllum habet. Si quis ad verberandum ducatur,

[2] ſecundo rerũ diuinar.

[3] Apud Gell. lib. x. cap. xv.

[4] d. cap. xv.

ſi ad pedes eius ſupplex decubuerit, eo die verberari piaculum eſt. Capillum Dialis, niſi qui liber homo eſt, non detonſet. Capram & carnem incoctam, & hederam, & fabam, neque tangere Diali mos eſt, neque nominare. Propagines è vitibus altiùs prætentis non ſuccidet. Pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos eſſe oportet, & de eo lecto trinoctium non decubat, neque in eo lecto cubare aliquem fas eſt. Vnguium Dialis, & capillorum ſegmina, ſubter arborem felicem terra operiuntur, neque ad eius lecti fulcrum capſam eſſe cum ſtrue atque ferto fas eſt. Dialis quotidie feſtalis eſt, ſine apice ſub dio eſſe licitum non eſt, ſub tecto vtiliter etiam & à pontificibus conſtitutum. Farinam fermento imbutam attingere fas non eſt. Neque tunicam intimam niſi in locis tectis exuiſſe, ſub cælo tanquam ſub oculis Iouis nudus ne ſit, ſpeculator enim deſuper aſtat, qui nos diebus omnibus, actuſque noſtros proſpicit, à luce prima in veſperam. In conuiuio eius haud quiſquam, niſi rex ſacrificulus, accumbit. Matrimonium Flaminis, niſi morte dirimi, non eſt ius. Locum, vbi buſtum eſt, nunquam ingreditur. Sunt etiam nonnulla, de iure flaminicarum inſtituta, vt ſcribit Aul. Gellius [5], quæ, ne ſim longior, omitto: etenim ea videri apud illum facilè poſſunt. Hos Flamines, cùm ab initio conſecrantur, captos duci à patribus, velut ab hoſtibus mos fuit. Totidem verò Flaminibus, quot deos colerent, vſos veteres, M. Varro in his

5 d. cap. xv.

his libris, quos inſcripſit de origine linguæ Latinæ, teſtis eſt. Vt Dialem, Martialem, Quirinalem, Vulcanalem, Furuialem, & Falacrum: & præterea complures. Quin vt noſtrorum inter ſacerdotum gradus, nonnihil intereſt: vt Epiſcopum, Archiepiſcopum, Patriarcham, & Metropolitanū: ita apud illos Flaminum, protho-flaminum, & archiflaminum, differentiam fuiſſe, idonei teſtes ſunt. Sed de his ſatis. Iam nunc de Virginibus Veſtæ, videamus.

De Virginibus Veſtæ. CAP. VI.

VEſtalis cultus originem, quemadmodum pleraq; alia primus Numa Pompilius, Romam intulit, & ſi eius initia vſque adeò vetera ſint, vt ex Troianis ad Albanos, Aenea duce, longè anteà commigrauerint: cuius rei meminit noſter Virgilius [1], his verſibus: [1] Aeneid. 2.

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Aeternumq́, aditis effert penetralibus ignem.

Deæ huic Veſtæ, quam terram eſſe, eandemque deorum matrem volebant, perpetuò vigil ignis conſecrari ſolebat. Eius obſeruationi ac cultui, pleræque virgines, è primoribus patrum electæ, præfici, quarum negligentia, ſi fortè ſanctus ignis fuiſſet extinctus, flagris, à Pontifice maximo, cædi iubebantur, vt à P. Licinio Craſſo Pont. maximo, in eam, quæ negligentiùs ignem cuſtodierat, [2] Valerius in libro factorum ac dictorum memorabilium ſcriptum reliquit. [2] Lib. 1. Tit. de ſeruat. rel. cap. viij.

Inceſti verò crimine damnatam, viuam ſuffodi
inſtitutum eſt. Virginem Veſtalem, vt Labeo
3 Apud Gell. lib.j.cap.xij. Antiſtius [3] ſcripſit, minorem, quàm annos ſex,
maiorem, quàm annos decem natam, negauerunt, capi fas eſſe. Item, quæ non patrima ſit, nec matrima, neque lingua debili, ſenſúue aurium diminuta, aliáue, qua corporis labe, inſignita ſit. Item, cuius parentes, alter, amboúe ſeruitutem ſeruierunt, aut in negocijs ſordidis diuerſantur: eamúe, cuius ſoror ad id ſacerdotium lecta ſit, excuſationem mereri, aiunt. Item, cuius pater flamen, vel augur, aut quindecemúir ſacris faciundis, aut qui ſeptemúir epulonum, aut Salius eſt. Sponſæ quoque pontificis, & regis ſacrorum filiæ, vacatio, à ſacerdotio iſto, tribui ſolet. Neque eius legendam filiam, qui domicilium in Italia non haberet,
4.d.cap.xij. conſtitutum eſt, vt Capito Atteius [4] ſcriptum reliquit: & excuſandam eius, qui liberos tres non haberet. Item, edicto prætoris Virginem Veſtalem, & flamineam Dialem iurare, non cogi, ſæpè reſcriptum eſt. Verba prætoris hæc ſunt: Virginem Veſtalem, & flamineam Dialem, ait prætor, in omni mea iuriſdictione iurare non cogam. De eligenda autem virgine Ve-
5.d.cap.xij. ſtali, hæc A. Gellius [5] ſcripta reliquit: Lege, inquit, Papia cautum eſt: vt arbitratu Pontificis maximi, viginti ex populo virgines legerentur, ſortitioque ex eo numero in concione fieret. Cæterùm ea lex, inquit, vetuſtate, vt pleræque aliæ, exoleuit: ſatiſque ei lectioni fieri cœptum,

ſi quis

ſi quis honeſto loco natus, Pontificem maximum adeat, offeratque ei ad ſacerdotium filiã, cuius, ſaluis duntaxat religionis obſeruationibus, ratio haberi poſſit, gratiam enim Papiæ legis, per ſenatum fieri aiunt. Hanc virginem à Pontifice maximo, capi: velut ab hoſtibus moris fuit. Verba autem, quibus tum Pontifex vtitur, hæc ſunt: Sacerdotem Veſtalem ſacra facere, quæ iuſſi, pro populo Rom. Quiritibus, vti optima lege fuit, ita te Amata capio. Amatæ enim nomine, appellari omnes conſueuerunt, quod ea, quæ prima capta eſt à Numa rege, eo fuiſſe nomine perhibeatur. Simulatque igitur capta, & in atrium Veſtæ deducta eſt, ilicò ſine emancipatione, ac capitis diminutione, exit patriam poteſtatem, & ius teſtamenti faciundi, adipiſcitur. In commentarijs autem Labeonis, quos ſuper duodecim tabulas compoſuit: ita hac de re ſcriptum reperitur. Virgo Veſtalis, neque hæres eſt cuiquam inteſtato, neque inteſtatæ quiſquam, ſed bona eius, tum redigi in publicum, aiunt. Hæc de Virginibus Veſtæ: de Salijs videamus.

De Salijs, Martis Gradiui Sacerdotibus.

CAP. VII.

INter cætera ſacrorum genera, inſtituta à Numa rege, à poſteris etiam in honore habita, id quidem in minoribus haud fuit, quod Marti, ſcilicet, Gradiuo vouit. Duodecim enim ad hoc viros legit, quos à ſolenni ſaltatu,

tatu, quo ſuis in ſacris vterentur, Salios appellauit. His alios duodecim Tullus Hoſtilius mox adiecit, cum Romanis in aciem contra Fidenates eductis, Albani à Romanis per ſpeciem proditionis, duce Metio, defecere. Datum autem his ſupra tunicam inſigne, æneum pectori tegumen, cœleſtiaque arma, quæ vocantur ancilia portare, ac per vrbem canentes carmina cùm tripudijs, ſolenniq́ue ſaltatu incedere, inſtitutumq́ue, vt in fine omnium carminum ſuorum, Mamurium appellarent. Hunc Mamurium inclytum ea tempeſtate fabrum fuiſſe, & cum ancile cælo lapſum eſſet, Numa Pompilio, Quiritibusq́ue rem diuinam agentibus. Huic Mamurio negocium datum, complura huic ſimilia ancilia effingendi tradunt. Quod quidem opus, cùm ille exquiſitiſſima abſoluiſſet arte, obtinere vtrùm à ſe vellet poſtulare, artifici Numam obtuliſſe, nihil, quod ex eo peteret, non exhibiturum, ſe artificem verò, nō pecuniam, ſed gloriam pro mercede petiuiſſe, quod eius nomen à Salijs in finem quorumlibet carminum recitaretur, idq́ue per multa tempora in ſacris, & comitijs (vt ait [1] Liuius) obſeruatum eſt. Eò autem huius ordinis ſacerdotum numerum creuiſſe, vt, & ad collegium & collegij Saliorum magiſtrum, redactum fuerit. Sed hæc de Salijs: de Pontifice maximo videamus.

[1] Lib. 1.

De

De Collegio Pontificum, deque Pontifice Maximo.

CAP. VIII.

PONtifices, vt pleraque alia ſacerdotia, ab ipſo Numa ortos, apud Liuium[1] ſatis conſtat, eoſdem diu, præterquam ex patribus, creari non licuit. Fuerunt autem ab initio hi, numero quatuor: poſtquam verò maximorum quorumcunque honorum partem plebs tribunitijs rogationibus obtinuit, ad ſacerdotia quoque, ſacroſanctasque poteſtates, patere ſibi aditum voluit. Quatuor ergo alios creari ex plebe pontifices placuit, M. Valerio, & Q. Apuleio conſulibus. Omnibus vnus præfectus fuerat, à Numa Pompilio: isque Pontifex maximus appellabatur. Hic habet penes ſe ſacra omnia exſcripta, exſignataque, quibus hoſtijs, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fieri debeant, eiuſmodique diuinis in rebus, vnde erogandæ pecuniæ ſumptus fieri oporteat, curæ Pontifici eſt, cæteraque omnia ſacra publica, priuataque ſcitis Pontificijs ſubiecta ſunt. Cùm verò de religione, deque ſacris diſſenſio eſt, populus illum conſulere pergit. Perutile illud fore ratus eſt Pompilius eius ſacerdotij auctor, ne ius diuinum negligendo, patrios ritus, peregrinosque aſciſcendo, turbaretur, nec cæleſtes modò cæremonias docere, ſed iuſta quoque funebria, placandosque manes eiuſdem Pontificis eſt. Apud eum quoque tabula eſſe dicitur, in qua Solis & Lunæ defectus, quoties lumini caligo fit, & anni menſiumque, ac faſtorum ratio per-

[1] d. Lib. 1

perſpicitur. Pontifices, vt Varro ait, Q. Mutius Sceuola à poſſe & facere appellatos eſſe, dicere ſolebat: ſed ea denominatio à M. Varrone haud ſatis probari videtur. Nam à ponte & facio potiùs appellatos putat, eò quòd ab his primùm pons Sublitius factus, ac ſæpe reſtitutus eſſe perhibeatur. De Pontificibus hæc repperi, quæ ſcriberem: iam nunc de Fœcialibus aliquid videamus.

De Fœcialibus. CAP. IX.

FOecialis ſacerdotij, nuſquam apud Romanos vetuſtiorem vſum fuiſſe, quàm Tullo Hoſtilio Romæ regnante repperi, quem tamen, vt ab Hoſtilio creatum non affirmauerim, ita ne quidem negauerim, à Numa Pompilio omnium religioſiſſimo Rege, creari potuiſſe. Vtcunque id tandem fuerit, de nomine priùs, quàm de M. Valerio Fœciali, regnante Tullo Hoſtilio, apud Liuium[1] mentio eſt. Fœcialis verò partes in eo verſabantur maximè, vt fidei publicæ inter populos præeſſet, neque iuſtum aliquod bellum fore cenſebatur, niſi id per fœcialem fuiſſet indictum. Cùm enim pugnare deſitum eſſet, fœdere fides pacis conſtituebatur, quæ fœdera aliquando fidera appellata eſſe ab Ennio, quod fidei faciundæ cauſa introducta ſunt, M. Varro teſtis eſt, fœcialemque ipſum à fide & faciendo dictum eſſe, idem exiſtimat. Formula verò feriendi per fœcialem fœderis, huiuſcemodi eſt, qua nulla (vt Liuio[2] pla-

[1] d. lib. 1.

[2] d. lib. 1.

placet) vetuſtior eſſe memoratur. Fœcialis, inquit, regem Tullum ita rogauit. Iubésne me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Iubente rege, ſagmina, inquit, te rex poſco. Rex ait, pura tollito: fœcialis ex arce, graminis herbam puram attulit: poſtea regem ita rogauit. Rex, facis ne tu me regum nuncium Pop. Rom. Quiritium? Rex reſpondit, quod ſine fraude mea Pop. Rom. Quiritium fiat, facio. Fit ergo tunc fœdus, multiſque id verbis (quæ longo effata carmine non opere eſt referre) peragit. Legibus deinde recitatis, audi, inquit, Iuppiter, audi pater patrate Po. Albani, audi popule Albane, vt illa palàm prima, poſtrema ex illis tabulis, cæraúe recitata ſunt, ſine dolo malo, vtique ea hîc hodie rectiſſimè intellecta ſunt. Illis legib. Pop. Rom. prior non deficiet, ſi prior defexit, publico conſilio, dolo malo: tum me die Iuppiter ita Pop. Rom. ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quantò magis potes, polleſque.
Id vbi dixit, porcum ſaxoſilice percutit. Eodem modo pars altera ſua carmina, per ſuos Sacerdotes, ſuumque dictatorem peragit. Cùm autem bellum per fœciales indicunt, hoc more vtuntur. Fœcialis haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam, ad fines eorum, quibus bellum indicit, defert, nec minus puberibus tribus pręſentibus hæc adijcit: quod populi priſcorum Latinorum, hominesque priſci Latini, aduerſus Populum Rom. Quiritium fecerunt, deliquerunt

runt, quod Populo Rom. bellum cum priſcis Latinis iuſſit eſſe, Senatusque Populi Rom. Quiritium cenſuit, conſenſit, conſciuit, vt bellum cum priſcis Latinis fieret, ob eam rem ego Po.que Rom. Populo priſcorum Latinorum hominibusque priſcis Latinis, bellum indico, facioque: Id vbi dixit, haſtam in fines eorum emittit, ex quo bellum iuſtum intelligitur. Hæc de fœciali: nunc de Patre Patrato congruo loco videamus.

De Patre Patrato. CAP. X.

Patris patrati ſacerdotium, & ſi apud Liuium [1] à fœcialis haud differre videatur, aliquando etiam longè aliud fuiſſe appareat, tamen quod inter nomen huius, illiusque, atque officium nonnihil intereſſe videatur, vtique & de vtroque ſeorſum ſcribere viſum eſt: vtrum eſſet, his deſcriptis non certè officia immutauerim, ſed partes plures duntaxat adſcripſerim. Patris patrati vſus eodem tempore, quo fœcialis apud Rom. prodijt, nam & in feriendis à fœciali fœderibus, Patris patrati opera, auctoritasque exigebatur. Ad patrandum enim, id eſt, ſanciendum iuramentum, vbi de fœderibus conuenerat, admitti conſueuere. Creauit autem M. Valerius primus fœcialis, Sp. Fuſium, primum patrem patratum, eo bello, quod Tullus Hoſtilius cum priſcis Latinis geſſit, verbena caput, capillosque cingens. Alias præterea partes, ablata, ſcilicet, ab hoſtibus repetendi, pa-

[1] Eod. lib.

di, patri patrato dedit. Ancus Martius, eum morem ab antiquiſſima Equicolarum gente repetens. Eius rei formula antiquiſſima, eſt huiuſcemodi. Legatus idemque pater patratus, vbi ad fines eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato (filum autem lanæ velamen eſt) Audi Iuppiter, inquit, audite fines (cuiuſcunque gentis ſint, nominat) audiant fas. Ego ſum publicus nuncius Pop. Rom. iuſtè pieque legatus venio, verbiſque meis fides ſit. Peragit deinde poſtulata, inde Iouem teſtem facit. Si ego iniuſtè, impieque illos homines, illaſque res dedier Pop. Rom. mihique expoſco: tum tu patriæ compotem me nunquam ſinas eſſe. Hæc, cùm fines ſupraſcandit, hæc quicunque ei primus vir obuius fuerit, hæc portam ingrediens, hæc forum ingreſſus, paucis verbis carminis, concipiendique iuriſiurandi mutatis, peragit. Si non deduntur, quæ expoſcit, diebus tribus & triginta (tot enim ſolennes ſunt) peractis, bellum ita indicit. Audi Iuppiter, & tu Iuno, Quirine, dijque omnes cæleſtes, voſque terreſtres, voſque inferni audite. Ego vos teſtor, populum illum (quicunque eſt, nominat) iniuſtum eſſe, neque ius perſoluere. Sed de iſtis rebus in patria maiores natu conſulemus, quo pacto ius noſtrum adipiſcamur. Cum his, nuncius Romam ad conſulendum redit. Confeſtim rex, dictator, conſul, ſiue quiuis alius ſenatum habuerit, his ferme verbis patres conſulit. Quarum rerum, litium, cauſarum, condixit pa-

ter patratus Pop. Rom. Quiritium patri patrato priſcorum Latinorum, hominibusque priſcis Latinis, quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec ſoluerunt, quas res dari, fieri, ſolui oportuit. Dic (inquit ei, quem primùm ſententiam rogat) quid cenſes? Tum ille, puro, pioque duello quærendas cenſeo. Itaque conſentio, conſciſcoque. Inde alij ordine rogantur, quandoque pars maior eorum, qui aderant, in eandem ſententiam ibant, bellum erat conſenſu fieri ſolitum, vt fœcialis iactu haſtæ, vt dictũ eſt, bellum indiceret. Sed de hoc ſatis multa: cùm Rex Sacrorum paucis deſcribendus eſt.

De Rege Sacrorum. CAP. XI.

REX ſacrorum, qui & idem Rex ſacrificulus dicitur, creari cœptus eſt. L. Iunio Bruto, & M. Valerio, primis conſulibus. Eius creandi occaſionem dedit, quòd, cùm nuper exactis regibus pleraque ſacra, à ſolis regibus obiri conſueta, regum exactione vacare viderentur, idque moleſtè admodum populus ferret, vtpote, quòd cultui diuino regum exactione derogatum videretur, ſacerdotem creari placuit, quem, quo nihilo minus eidem auctoritatis ineſſet, regio nomine decorarunt, ſacrorum regem appellantes. Subiecerunt tamen Pontifici maximo, ne ſi nullius ditioni fuiſſet ſuppoſitus, iam exacti reges, reducti eſſe crederentur. Quæ verò huic partes iniunctæ ſacerdotio eſſent, nõ repperi. De his ergo hactenus: iam de Gallorũ ſacerdotio nonnulla videamus.

De

De Gallis, Sacerdotibus matris Deûm. CAP. XII.

GAllos quidem Berecynthiæ, ſiue illam deorum matrem dicere mauis, dedicauit antiquitas, eamque ſuperſtitionem, vt pleraſque alias, Phrygia Romam traduxit: & eo quidem tempore, quo huiuſcemodi carmen ex libris Sibyllinis relatum eſt.

Mater abeſt, matrem iubeo Romane requiras.
Cùm veniet, caſta eſt accipienda manu.

Hoc reſponſum cùm diu torqueret patres (quę enim ea mater eſſet, aut vnde petenda, non ſatis reperire poterant) Pythij Apollinis oraculum conſultum miſere, miſſi huiuſcemodi reſponſa retulerunt. Diuûm Appollo, inquit, arceſſite, [1] matrem, quam Idæo quidem iugo reperietis. Miſſi ergo in Aſiam legati, datum negocium, vt perquiſitum ac tandem compertum deæ ſimulacrum, Romam ducerent. Sed cùm Attalus Rex Aſiæ, comperti à legatis ſimulacri traiectionem negaret, Romanis fruſtra iam abire parantibus, vocem eiuſdem, vt creditum eſt, deæ auditam ferunt. Ipſa inquit, peti volui, Romamque, quod deorum omnium domicilium eſt, deduci. Quo miraculo exterritus Attalus, Romanis ilicò ſimulacri tranſlationem conceſſit. Mari ergo tranſuecta Romam, vt traditum eſt, dea: cùmq; Tyberi nauis ſimulacro onuſta vectaretur, omni genere hominum ex vrbe prodeunte obuiam cum carminibus, ſacriſque, nauem ſicco littori adhæſiſſe ferunt. Et cùm omnis multitudo funibus iniectis, ſummo conatu

[1] Pro accerſite ab Adceo d in r mu tata Antiqui enim, teſte Priſciano, d literam mutabant in r. Nos autem in c.

adniteretur, nulla demum vi auellere hærentem valuit. Erat autem in turbas matronarum Claudia Quincta Veſtalis Virgo præſtantiſſimę formæ, cuius exquiſito habitu, multisque pleno illecebris, violatæ eius virginitatis publica ſuſpicio circumferebatur. Procubuit ergo puella ad pedes ſimulacri, oransque obteſtansque deam, ſic inquit: Læſæ virginitatis me ream criminantur: tuo, dea, teſtimonio, vti rem iudices prout eſt, quæſo, vt ſi tuo damnata teſtimonio, dea, fuerim, admiſſa, morte luam: ſin hac labe puram argueris, tum tu caſtiſſima, caſtas manus proſequare obſecro. Vbi hæc dixit, reſte, qua ligata erat nauis, manu accepta, nauis puellæ parum admodum conantis tractum, facilè proſecuta eſt. Hoc pacto in vrbem deductam Scipio Naſica ſolus dignus, cuius manibus tangeretur, reciperetur que ſimulacrum, iudicatus eſt. Datum ergo Scipioni negocium, vt templum deæ magnificè ſtrueret, & eius cultus ſacerdotes dedicaret, quos de more deæ vetuſto Spadones eſſe oportebat, non alio pacto ad id ſacerdotium legendos. Cuius quidem inſtituti, hoc in cauſa fuiſſe, commemorant, dilexiſſe Cybelen hanc, puerum quendam Phrygium, dilectoque hanc conditionem adieciſſe, ne coitu polluta caſtitate admitteretur, puerum tamen nympham Sangaritidem deperiſſe: & cùm apud eam ſub arbore ei nymphæ dicata, vnà quieſcerent, nactam dormientes, deam arborem cum ipſa nympha trucidauiſſe, adoleſcen-

ſcentem metu ferè exanimatum, in vicinum montem, cui nomen Dindyma eſt, confugiſſe, doloréque amentem, pudoréque admiſſi facinoris, membrum, quo deliquerat, abſcidiſſe. Hac ratione facti dea memor, per eiuſmodi homines perpetuò ſibi miniſtrari voluit. Gallorum verò nomen, à flumine Phrygiæ vetuſto, quod templo huius deæ vicinum eſt, tractum ferunt, cuius, vt perhibent, fluuialis vndæ ea vis eſt, vt potantes inſanire compellantur. Sed de Gallis ſatis: ad Duumuiros Sacrorũ veniamus.

De Duumuiris Sacrorum. CAP. XIII.

DVûmuiri ſacrorum, quantum monumenta veterum legens, conſequi valui, ſacris libris legendis, carminibúſque Sybillæ, fatiſque Pop. Rom. interpretandis præerant, & Appollinis ſacri, aliarúmque cæremoniarum Antiſtites erant. Et quoties prodigia aliqua, magnos aliquos rerum euentus auſpicantia, emerſiſſent: lectiſternijs ad puluinaria deorum factis, vti eorum minas auerterent, & ſupplicijs ſacriſque placarent. Eorum etiam ritu, ſupplicationes pro rebus proſperè geſtis, decernebantur. Huius ſacerdotij nullam antè mentionem repperi, quàm pro tempore ædes Caſtori, per filium Poſthumij ſecundi dictatoris, qui tunc duumuir erat, dedicata eſt. Latino enim bello pater ipſe dictator vouerat. Cæterùm cum multo tempore, duo ad hoc ipſum ſacerdotium viri creati eſſent, ac plebs de

ſuo quoque corpore creari conſules, cæteroſque Magiſtratus pergeret, neque ad id ipſum ſatis virium eſſet, obtinuit tandē, vt qui duumuiri in eam diē creati fuiſſent, decemuiri crearentur: quinque ex patribus, totidem ex plebe allectis. Quare ex duumuiris, decemuiri appellari cœpti ſunt. De duumuiris hæc habui. De Septemuiris Epulonum videamus.

De Septemuiris Epulonum. CAP. XIIII.

SEptemuiratum epulonum, quanquam vt coniectari valeo, genus eſſe ſacerdotij autumem, quippe, quod apud A. Gellium[1] cùm de vacatione Veſtalis ſacerdotij agit, filiæ (inquit) Auguris, Flaminis, Decemuiri Sacrorum, Septemuiri Epulonum, ab hoc ſacerdotio excuſationem merentur: inter cætera enim ſacerdotia hoc ipſum ſubiunxit. Vtcunque id fuerit, quoniam nihil quicquam hac de re mediocris etiam fidei, auctoritatisq; reperi, quod huic ordini officium commiſſum eſſet, auſus aſſerere non fui. Plinius[2] tamen cùm eſſet orationem habiturus, cùm quaſi propter futuros aſtantes tumeret, dixit. Stabat modò conſularis, modò ſeptemuir epulonum. Id verò ſatis teneo memoria, Romæ in pyramide quadrata, marmore ſtructa, inciſa eſſe verba huiuſcemodi. Opus abſolutum diebus cxxx. ex teſtam. C. Cornelij Tr. Pl. Septemuiri epulonum. Sed quoniam de ijs nihil amplius reperire potui, ad ſecundi commentarioli initium veniamus.

[1] Lib. I. cap. xij.

[2] Epiſt. lib. II. epiſt. xj. Ad Arrianū.

AN-

ANDREÆ DOMINICI FLOCCI, FLORENTINI, IN LIB. II. DE POTESTATIBVS ROM. PRÆFATIO.

QVæ ad ſacerdotia, diuinaſque poteſtates pertinentia, ſtudio, curaque, multorum monumenta veterum legens, conſectari potui, ea potiſsimum adſcripſi. Quod verò Sacerdotia, diuinas poteſtates appellaui, haudquaquam ab humanitate, videtur alienum eſſe: vt enim hi Magiſtratus, quibus humanarum rerum facultas, arbitriumque eſt, ritè poteſtates appellantur: ita ea ſacerdotia, quibus diuinarum rerum cultus commendantur, diuinas poteſtates nominare non iniuria eſt. Licet autem quandoque hoc in genere ſcriberem plura, vel ſtudiorum incuria, vel commentariorum paucitate, aut, quod ita ſe res habet, vt ne quidem plura inueniri poſſent, allegere non potui: vti primum ergo commentariolum his paucis contentum facerem, viſum eſt. Si cui autem plura idem genus, aut longè peregrina legenti, ea occurrant, quæ profeſſo, hæc ipſa præſtare congruum videbatur eſſe: is pergratam mihi quidem allaturus rem, veniam

 dabit,

dabit, aut incuriæ meæ, aut penuriæ librorum, ei certè rei magnam eius culpæ partem conceſſurus: Meum enim in hac ipſa lucubratione, præter aliquid orationis, rerum ferme nihil eſt. Ex his autem, quæ allegere potui, ſi cui aliqua fortaſſe non ſatis probabilia, vel à veritate diſſona videantur, is accuſet Liuium, reprehendat Ouidium, Varronem, Ius ciuile, ac nonnullos alios, quibus ad hæc adminiculanda adiutoribus vſus ſum. Igitur de altera parte commentarioli noſtri iam tempus eſt nobis, vt, quæ occurrunt, eadem ſubijciamus. Et regiam quippe poteſtatem, cæteras omnes tempore anteiſſe poteſtates nemini dubium eſt, ab illaque ipſa exordium factum eſſe nonnullis facilè videri potuiſſe. Mihi verò longè alia mens eſt: eum ſcilicet regem, quo in vno omnes omnium poteſtates conſiſterent, ſingulari quodam poteſtatis titulo, non eſſe decorandum, ſiue comprehendendum, in animum inducenti. Nam ſi princeps ſingulari poteſtatis titulo eſſet, præter eam ſolam, quæ apud eum eſſet, ac ne illam ipſam poſſet, ſatis ſcio mandare, alteram ſanè non poſſet. Cæterùm, cùm omnis R.P. ſumma vni adnitatur Regi, omneſque, quæ vbique ſunt poteſtates, ex vno rege, veluti ex vberrimo quodam fonte, manent, quis eius poteſtatis titulo, quade agere inſtitui, contineri Regem, vel Cæſarem,

velut

velut ſpeciei ſubeſſe genus, exiſtimet? Hoc etiam ipſum dubitandi genus me offendit, de Dictatore, ſcribere incipientem: nunquídnam poteſtatibus, Dictatorem ipſum, ad ſcribendum putarem: Magiſtratum enim dici, qui ipſe magiſter populi R. dicitur, quo omnes, vt ita loquar, magiſtrantur Magiſtratus, à quo nulla prouocatio ſit, à quo vno omnes omnium poteſtatis Regis ſimilitudine exordium trahunt, nulla ratione concludi poſſe, videbatur. Sed, cùm eam poteſtatem vltra ſex menſes retineri poſſe, lege prohibitum eſſet, haud pura ſuprema poteſtas, quæ legis imperio ſubijceretur, iuſta ratione videri poterat: qua ratione, Dictatorem poteſtatuum numero adſcribendum eſſe, viſum eſt: Nam quæ auctore populo Rom. collata, ac lege circumſcripta eſſet poteſtas, eodem auctore abrogari poſſe videbatur.

Senatoriam verò dignitatem, quàm poteſtatem, ſi ſingulos ſenatores conſideremus, potius appellarim: Sin verò, omnium ſenatorum conſilium circumſpiciamus, fortaßis poteſtas omnium poteſtatuum Regiæ, aut etiam Imperatoriæ, perſimilis apparere poßit: Quippe quòd & Reges, omnes & dictatores, ac tandem etiam Cæſares, quàm auctoritate patrum, ſingula quæque decernere, nihil ſibi exiſtimarint antiquius. Sin verò, cùm ſingulis ſenatoribus mandari poteſtas

 poßit,

poßit, neque quod ſenator ſit, nouæ gerendæ poteſtati impedimento eſt, ſingularem poteſtatem non eſſe, ſed dignitatem ſenatoriam, conſequens eſt. Cùm verò Tribunitiam poteſtatem, cui ſenatoria decreta excutere ius poteſtatis fuit, animaduertimus: cur Senatum inter poteſtates, aut, vt dixi, dignitates non habendum dicamus, non equidem intelligimus. Sed quoniam de Magiſtratibus agimus, alijq́ue omnium Magiſtratuum maiores, alij verò minores ſint, qui maiores, quíue minores eſſent, paucis animaduertendum eſt, qua in re meis verbis opus non eſt: dum A. Gellius[1] pleraque hac in re, M. Meſſalæ auguris libris, nobis ſuppetat, cuius verba hæc ſunt. Patriciorum auſpicia, in duas poteſtates diuiſa ſunt: maxima ſunt conſulum, prætorum, cenſorum: neque tamen eorum omnium inter ſe eadem, aut eiuſdem poteſtatis ſunt, ideo quòd collegæ non ſunt cenſores :onſulum, aut prætorum. Prætores collegæ conſulum ſunt, ideo neque conſules, aut prætores cenſoribus, neque cenſores conſulibus, aut prætoribus turbant, aut retinent auſpicia. At cenſores inter ſe, rurſus prætores conſulesq́ue inter ſe, & vitiant, & obtinent auſpicia. Prætor, & ſi collega conſulis eſt, neque prætorem, neque conſ. iure rogare poteſt, vt quidem nos à ſuperioribus accepimus, aut ante hæc tempora ſeruatum

eſt.

[1] Lib. xiij. cap. xiiij.

eſt. Et vt in commentario xiij. C. Tuditani patet: quia imperium minus prætor, maius habet conſul, & à minore imperio maius, à maiore autem collega iure rogare non poteſt. Nos, his temporibus prætores prætore creante, veterum auctoritatem ſumus ſecuti, neque his auſpicijs in comitijs fuimus. Cenſores æquè non eodem rogantur auſpicio, atque conſules & prætores. Reliquorum verò magiſtratuum minora ſunt auſpicia: ideo illi maiores, hi minores magiſtratus appellantur. Maiores centuriatis, inquit, comitijs, minores curiatis ac tributis fiunt. Ex omnibus his Meſſalæ verbis, inquit, manifeſtum fit, qui ſint minores Magiſtratus, & quamobrem minores appellentur. Sed & collegam eſſe prætorem conſuli docet, quòd etiam eodem auſpicio creantur. Maiora autem auſpicia dicuntur habere, quia eorum auſpicia magis rata ſunt, quàm aliorum. Eundem præterea Meſſalam eadem de re ita ſcribere, idem ait A. Gellius[2]: Conſul ab omnibus Magiſtratibus & comitiatum, & concionem auocare poteſt, prætor & comitiatum, & concionem vſquequaque auocare poteſt, niſi à conſule. Minores Magiſtratus nuſquam, neque comitiatum, neque concionem auocare poſſunt. Ea re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is rectè agit: quoniam bifariam cum populo agi non poteſt,

[2] d. cap. xiiij. in fi.

teſt,

teſt,nec auocare alius alij poteſt,ſi concionem habere volunt , vti ne cum populo agant, quanuis multi Magiſtratus ſimul concionem habere poſſint. Ex his verbis Meſſalæ,manifeſtum eſt,aliud eſſe cum populo agere , aliud concionem habere: Nam cum populo agere , eſt rogare , quid populum, vt quid ſuffragijs ſuis , aut iubeat, aut vetet.Concionem autem habere,eſt verba facere ad populum,ſine vlla rogatione. His igitur de Magiſtratibus , in vniuersùm viſis, iam de Senatoria dignitate,ſiue illam poteſtatem appellare malis , quoniam & auctoritate & vetuſtate ferme omnes alias excellit,primùm videamus.

De Senatoribus. CAP. I.

* Peregrinè dixit inſtituiſſe, pro incepiſſe: vt in adnotationibus.

SEnatorum originem à Romulo inſtituiſſe*,nemo ambigit.Quippe qui verbis parens , ac conditor, quoniam nouam ciuitatem, viribus & robore iuuenum affatim ab ſe munitam,cerneret,haud minoris momenti fore ratus eſt , ſi eandem conſilij ope fulciſſet, ex primoribus patrum,qui tunc aderant, ciuibus centum numero,elegit, quos ab honore patres , ob ætatem , ſenatores appellauit : vt apud Lacedæmonios ſenes appellari eos , qui ſummum quendam Magiſtratum gerunt , Cicero ait[1] . Qui verò ex his primoribus centum patri-

[1] In Catone, ſiue de Senectute.

patribus geniti ſunt, patritij nuncupati ſunt. Hunc ordinem mox Tullus Hoſtilius expleuit, Alba à ſe diruta, Albaniſque in vrbem inductis. Tum Iulios, Seruilios, Quintios, Geganios, Curiatios, Clœlioſque in Senatores accepit. Exactis autem regibus Brutus conſul, exhauſtú bonis viris ſenatum intuens, primores equeſtris ordinis adſcribi in ſenatores operam dedit, illoſque conſcriptos patres appellauit, ex quo tempore, patrum conſcriptorum appellatio locum habere inſtituit. Penes hos quidem ſenatores, ſemper totius Reip. ſumma enixa eſt: vt ne reges quidem, conſules, aut dictatores, aut alius quiſpiam Magiſtratus, inconſulto ſenatu quippiam moliretur: adeò, vt cùm Tarquinius Superbus pleraque præter ſenatus auctoritatem decerneret, tunc demum, amiſſo regio nomine, tyrannus appellaretur. Senatores verò triplicis ordinis fuiſſe repperi, alij enim patritij, alij pedarij, nonnulli verò conſcripti appellabantur. Patritij ſunt hi maximè, qui ex centum illis patribus, à Romulo lectis, geniti ſunt. Conſcripti verò ſenatores hi, qui regum conſulum, cenſorúmue decreto in Senatum lecti ſunt. Pedarios autem ſenatores varijs rationibus appellatos inuenio, alij enim, quòd hi non haberent ſententiæ dictionem in ſenatu, ſed in aliorum ſententias pedibus irent, dictos pedarios putant. Alij, quòd eſſent plerique, qui Magiſtratus curules adepti, ſella curuli in ſenatum veherentur, qui verò pedibus iter facerent, pedarij

[2]Satyra Menippea vt apud Gel. lib. iij. cap. xviij.

darij nominarentur. M. autem Varro[2], equites quoſdam eſſe ait, quibus, amplioribus magiſtratibus functis, nondum tamen à cenſoribus in ſenatores lectis, non eſſet ius dicendæ in ſenatu ſententiæ, cùm tamen in ſenatum venire liceret. Sed quas ſententias principes dixerant, in eas diſcedebant. De ordine verò, ac ratione conſulendi ſenatus, quæ vſquam repperi, ea potiſſimùm adijciam. Aliquando eum primò rogare mos fuit, qui princeps in Senatu à Cenſoribus poſitus fuerat, nonnunquam verò, vt hi prius rogarentur, qui Conſules deſignati eſſent, inſtitutum eſt. Cicero autem in eo libro, quem inſcripſit Catonem maiorem, ſiue de Senectute, tantùm aliquando ſenectuti honoris tributum ſcribit, quod vt quiſque natu grandior eſſet, ita prior in Senatu ſententiam rogaretur. Vſu tandem introductum eſſe dicitur, vt quem Conſul ipſe rogaſſet, is prior ex ſententia verba faceret, alium tamen, quàm conſularem virum rogari fas fuiſſe, negant. Ex qua tamen conſuetudine, C. Iulius Cæſar in eo conſulatu, quem geſſit cum M. Bibulo, hos duntaxat viros extra ordinē rogaſſe dicitur, M. Craſſum, Cn. Pompeium, & M. Catonem: Poſt M. Craſſum, Cn. Pompeium, vbi filiam ſibi in matrimonio collocauit, rogare primùm cœpit. Cùm verò M. Catonem rogaret, atque id, de quo conſulebatur, è Repub. minus fore duceret, longioreque proinde oratione vteretur, qua omne ferme tempus, quod eſt habendo ſenatui,

natui, tereret: Cæſar viatorem vocauit, Marcumque Catonem, quoniam finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem trahi iuſſit. Catonem, cùm imperio pareret, ſenatus conſurrexit, & ad carcerem proſequebantur. Cuius rei quaſi inuidia motus Cæſar deſtitit, atque emitti Catonem iuſſit. De modo autem habendi ſenatus, M. Varro, rogatu Pompeij, librum edidit, cùm ille primùm conſul cum M. Craſſo fuiſſet deſignatus. Creditur, quia foris militia ad eam ætatem occupatus, vellet ciuilis conſuetudinis, cuius expers erat, fieri peritior. Sed eum librum in ipſa Varronis ætate perijſſe, idem ipſe in epiſtola ad Oppianum ſcribit. Qua in epiſtola multa ſcribere Varronem id genus, A. Gellius[3] in commentarijs noctium Atticarum refert, primumque illi ſcriptum fuiſſe, per quas perſonas haberi ſenatum liceret, nominat dictatorem, conſules, prætores. Tr. Pl. interregem, præfectum vrbi, neque vllis alijs ius fuiſſe ſenatum frequentem fieri iubere aſſerit. Addit deinde extraordinario iure tribunos militares, qui pro conſulibus eſſent. Item decemuiros, quibus imperium conſulare tum eſſet. Item triumuiros Reip. conſtituendæ cauſa creatos, conſulendi ſenatum ius habuiſſe. De præfecto autem vrbi Latinarum, vtrum ſenatum habere liceret, non ſatis conuenire ait, qui licere negant, quòd ne ille quidem ſenator ſit: proinde ius dicendæ in ſenatu ſententiæ non habeat, in rationem adducunt, ea quòd ætate,

[3] Lib. xiiij. cap. vij.

quæ

quæ nondum ſenatoria ſit, fiat. M. autem Varro[4], & Atteius Capito, ius eſſe præfecto huic ſenatus habendi aiunt. Quandoquidem & Tr. Pl. quanquam non eſſent ſenatores, ante Atinium plebiſcitum ius Senatus habendi eſſet. Scripſerat etiam de interceſſionibus, illis videlicet, ius intercedendi fuiſſe, qui vel ea poteſtate, vel maiori eſſent, ijs, qui ſenatuſconſultum, aut plebiſcitum vel aliud decretum rogarent. De loco habendi ſenatus, aut ſenatuſconſulti rogandi, niſi in locis per augures conſtitutis, quæ templa appellabantur, haberi, rogaríue potuiſſe negabat. Vnde & curia Hoſtilia, & Pompeia, & pòſt Iulia, cùm profana ea loca fuiſſent, templa per augures ſunt conſtituta, vt in ijs ſenatuſcõſulta more maiorum iuſta fieri poſſent. De tempore verò habendi ſenatus, ita diſſeruit. Ante exortum, inquit, ſolem, aut poſt eius occaſum, ſenatuſconſultum irritum eſſe. Opus etiam cenſorum fuiſſe, per quos, & quo tempore factum eſſet ſenatuſconſ. animaduertere. De ætate autem ſenatoria etiam adoleſcentibus ſenatorum ſenatum aliquando ingredi licuiſſe, veterum monumenta legentibus, apparet. Quo minus verò tandem in ſenatum illi ætati venire liceret, Papyrij prætextati factum in cauſa fuit, vt Valerius Maximus[5] in libro Factorum ac dictorum memorabilium ſcriptum reliquit. Tunc igitur conſtitutum, ne cui paucioribus xxv. annis nato ſenatum ingredi liceret, vt apud Plutarchum in vita Magni Pompeij. Item apud

[4] Lib. xiiij. cap. vij. & viij.

[5] Adde Gel. lib. I. cap. xxiij. & Macro. ſaturn. lib. I. cap. vj.

ius ciuile[6] Romanorum, quo nos etiam hoc tempore vtimur, facilè conſpicari licet. Qui verò ſenatum habiturus eſſet, auſpicari primò, atque immolare hoſtiam debere, idem Varro[7] cenſebat. Docuit etiam de diuinis rebus, prius quàm de humanis ad ſenatum eſſe referendum. Item Senatuſconſ. duobus modis fieri, aut per diſceſſionem, ſi conſentiretur, aut, ſi res ardua eſſet, per ſingulorum ſententiam. De pignore quoque faciendo, de multa irroganda ſenatori, qui quo tempore in ſenatum venire debuit, nõ interfuerit. Quantum verò ad ſenatorum familiam pertinet, ſenatoriarum perſonarum appellatione, etiam vxores contineri decretum eſt. Adoptiuos autem filios, & ſi antè, quàm patres in ſenatum eſſent ducti, ſeſe in adoptionem dediſſent, ſenatorios eſſe placuit. Si quis autem ex patritiorum ordine, plebeio homini ſe in arrogationem dederit, patritium tamen manere, iure[8] cautum eſt: quam legem ea tempeſtate nullam fuiſſe arbitror, cùm P. Clodius vir patritius quò tribunitia poteſtate fungeretur, qua aduersùm Cic. factiosè vteretur, plebeio homini ſe adoptandum tradidit. Contrà ſenatorum filiæ, niſi quæ ſenatorijs hominibus nuptui traditæ ſunt, clariſſimarum fœminarum nomine non continentur. Senatoris verò filium à patre emancipatum, & ſi filij nomen iure ciuili amittit, ſenatoriam tamen retinere dignitatem creditur. Poſthumi autem, quamuis poſt patris mortem naſcuntur, ſenatorij tamen homines

E appel-

[6] L. Non tãtum § neque D. de decurio.

[7] Apud Gell. d. cap. vij.

[8] L. ſenatoris filium D. de ſenat.

appellantur: eum verò qui (poſtquam pater ſenatu motus eſt) concipitur, & naſcitur, non eſſe ſenatoris filium, Proculus & Pegaſus [9] opinantur. Si quis verò antè conceptus fuerit, quàm eius pater ſenatu moueretur, non nocebit filio caſus patris, quo minus ſenatoris filius eſſe cenſeatur, ſed ſi pater, antequam conciperet filium, ſenatoriam dignitatem amiſerit, ac deinde deceſſerit, filij autem in aui ſenatoris poteſtatem reciderint, & ſi non quaſi ſenatore patre nati videantur, ſenatorij tamen cenſebuntur. Mulieres autem ſenatoribus primò, deinde inferioris ſortis hominibus matrimonio collocatæ, clariſſimarum fœminarum ordinis non ſunt. Itaque impetrare pleræque à principibus ſolent, vt nuptæ iterum inferioribus viris, in ſenatoria nihilominus maneant dignitate, vt dicitur [10] diuum Antoninum Auguſtum, Iuliæ Mammeæ conſobrinæ ſuæ indulſiſſe. Senatores verò ſenatorio ordine amotos, quamuis capite non minuantur, & ciuitatem retineant, iudicare tamen, ac teſtimonium dicere, prohibet lex Iulia repetundarum. De Senatoribus hactenus: dehinc de Tribunis Celerum pauca ſubijciam.

9 L. Emancipatum. D. Eod.

10 L. Nuptæ D. Eod.

De Tribunis Celerum. CAP. II.

TRibunos Celerum primus Romulus creaſſe fertur, cùm tres equitum centurias, quarum opera in omni Reip. diſcrimine vteretur, deſcripſit. Eas centurias,

Ram-

Ramnenſium, Tatienſium, Lucerum appellauit: Ramnenſium à Romulo: Tatienſium à Titio Tætio Sabino: Lucerum verò denominatio, vt Liuio [1] placet, incerta eſt. Quòd autem ternos his præfecit viros, quos ex tribus delegit tribubus, tribunos nominauit: fuiſſe autem equites numero, trecentos aiunt, eò quòd ex ſingulis curijs, quæ triginta tantùm erant, decem aſciuerit. Quòd verò celeriter accurrere eos voluit, ſi quando Reſpub. illorum opera indigeret, appellari celeres voluit. Sunt etiam, qui à Celere quodam, qui primus ijs ordinibus, à Romulo præfectus fuerit, Remi interfectore, hoc nomen inditum eſſe opinentur, vt Ouidius [2] in libro Faſtorum ſignificare intelligitur. Satis ergo de Tribunis Celerum dictum ſit: de Quæſtoribus videamus.

[1] Lib. 1.

[2] Faſtor. iiij.

De Quæſtoribus. CAP. III.

QVæſtoribus creandis, origo vetuſtiſſima eſt, & ante omnes penè Magiſtratus inſtituti ſunt. Gracchanus [1] autem quiſpiam, cuius ſuprà memini in eo libro, quem de poteſtatibus ſcripſit, ipſum etiam Romulũ & Numam, duos habuiſſe quæſtores, quos non ſua voce, ſed populi ſuffragio creatos, ſcriptum reliquit. Cæterùm, vt Romulum quæſtores habuiſſe, non vſquequaque notum eſt: ita, Tullum Hoſtilium regem quæſtores habuiſſe, conſtare inquit. Quòd verò publicæ quærendæ pecuniæ præpoſiti eſſent, ap-

Manuſcr. cod. inſtituiſſe.

[1] L. v. cap. D. de quæſtor.

pellatos quæſtores aiunt. Quæſtorum verò, partim ærarij, & vrbanæ pecuniæ curam agere, prouincias partim exigendis vectigalibus ſortiri, plerique (vt ille Gracchanus dixit) epiſtolis in ſenatu legendis occupari, ijque nuncupari Candidati Principis ſolebant. Nonnunquam autem maleficia conquirere quæſtoribus negotio traditum eſt, ex quorum exercendis quæſtionibus, quæſtores dictos fuiſſe, M. Varro[1] opinari videtur. Quæſtores, vt ferè omnes reliquos Magiſtratus tam plebeios, quàm patritios, promiſcuè creari obtinuit: quæ poteſtas, quoniam minoribus adſcribitur, neque prehenſionem, neque vocationem habet: & quemadmodum priuati in ius, ad prætorem vocari ſolent. Eadem gerendorum honorum, dicendæque in Senatu ſententiæ initium fuiſſe perhibetur. †Etiam quia de capite ciuis Romani iniuſſu populi, non erat permiſſum Conſulibus ius dicere: propterea Quæſtores conſtituebantur à populo, qui capitalibus præeſſent rebus. Ii appellabantur Quæſtores parricidij, quorum & meminit lex 12. tabularum. Hæc de Quæſtoribus: iam de Interregis officio videamus.

[1] Gell. lib. xiij. cap. xiij.

Sequentia, vſque ad finem capitis, non ſunt in manuſcripto exemplari, & incircumſpectè aſſuta ſunt ex Pomponio Iureconſ. nã eandem ſententiam Auctor ſuprà expreſsit eodem cap.

De Interregia Poteſtate. CAP. IIII.

ROmulo ergo humanis iam rebus ſubducto, fluctuantibusque patrum animis, quo pacto Rempub. procurarent, quem in demortui Regis locum ſuffecturi, aut quo tandem pacto eſſent, ne noua multitudo

ſine

ſine Rege ac Duce vagaretur, ac vicinorum tandem irritatis animis, vrbem, rectore vacuam, vis aliqua externa adoriretur: difficultati rerum conſulere rati, centum patres, decem decurijs factis, ſingulos ex ſingulis legunt, qui ſummæ rerum præeſſent. Ex ijs vnum, qui cum inſignibus imperij, & faſcibus eſſet, decernũt. Quinq; dierum ſpacio finiretur imperium, eoque pacto viciſſim inter ſe ſortiebantur, dum orbe exacto, annus exigeretur. Sed huius imperij, quoniam pertæſum videretur, ac plebs pro vno rege, centum ſortitum eſſe quereretur, audirentque ea moueri patres, qui vel inuiti imperium poſituri videbantur. Eſſe id per ſpeciem beneficij vltro offerendum rati, ſummam poteſtatem populo permittunt, ſtatuunt, ne plus iuris, ac poteſtatis futuro regi permitterent, quàm apud ſe retinerent, ſimul decernunt, quem populus ipſe regem iuſſiſſet, ita demum ratum haberetur, ſi patres auctores extitiſſent. Tum Interrex concione aduocata, quod bonum, fauſtum, felixque ſit, inquit, Quirites, regem create: ſi dignum, qui ſecundus à Romulo numeretur, creaueritis, patres auctores fient: atque ea conditione Regem creabant. Apud quem ergo ſumma rerum erat, dum regia poteſtas vacans erat, Interrex appellabatur. Apud minores verò Romanorum, cùm Reipub. cauſa abeſſent conſules, neque habendis comitijs intereſſe poſſent, ſiue vitio conſules creati eſſent, ſi dictatorem comitiorum cauſa dici non placuiſſet, res

ad Interregem deducebatur, ac per Interregem conſularia comitia habebantur. His ergo de Interrege dictis: de Duumuiris Capitalibus videamus.

De Duumuiris Capitalibus. CAP. V.

SI Duumuiratus capitalis repetere originem voluerimus, ab vſque Tulli Hoſtilij Regis temporibus erit repetenda. Is enim bellum cum Albanis geſturus, copioſam è caſtris aciem eduxerat. Tum Metius Suffetius Albanorum Dux, Regem Romanum ad colloquium vocauit, vbi in conſpectum venerunt, diu de conditionibus pacis inter eos agitatum eſt: hanc tandem pactionem inierunt: Erant in exercitu Albano, trigemini fratres: Curiatij appellabantur, vt hi cum trigeminis Horatijs Romanis, ferro decernerent: vtrius exercitus victores eſſent, is populus alteri cum bona pace imperitaret. Armati ergo, hinc Horatij, illinc Curiatij, in campum prodeunt: diu vario Marte pugnant: ad extremum tres Curiatij, atque ij quidem omnes ſaucij, duos ex Horatijs obtruncant, tertio integro relicto. Iuuenis ergo integer corporis, animique viribus, ne ſi ſtando triplices tutari ictus non poſſet, ambire campum inſtituit. Ex Curiatijs qui validior erat, metu exanimatum fugere ratus, proſequi illum, ægrè licet, pergit. Horatius vbi alterum longè ab alijs eſſe cernit, Curiatium aggreditur, parumque validum facilè obtruncat. Accurrentem fratri ferre auxilium, primo illo etiam infirmio-

firmiorem, & vix ſuſtinentem arma, faciliùs occidit. Tertium graui vulnere, metúque grauiore, minore negocio confodit. Iuueni igitur Horatio omnium conſenſu glorioſiſſimus triumphus decernitur. Triumphanti ergo, cùm omne genus hominum, tum Horatia ſoror, venit obuiam. Hæc Horatia alteri ex Curiatijs fortè deſponſa fuerat, quæ vbi conſpexit, occiſi nuper à fratre viri pendentes ab haſta exuuias, lamentis & fœmineo eiulatu complebat omnia: cuius rei indignatione perculſus Horatius, ratus publicam lætitiam turbaſſe, gladio per pectus ſororis acto, ſororem interfecit. Triumpho ergo acto, Horatius ad Regem trahitur, in carcerem conijcitur, ergo omnium ſententia Horatium capite damnabat, ſed recens tam inſignis facti memoria, permultum fauoris à Rege ipſo potiſſimum ſibi vindicabat. Dilationem ergo iudicij Rex quęritãs, tum primum duumuiros creat, quæſtionem Horatij ab ſe ad illos reijcit. Quid plura? Duumuiri plectendum capite, Horatium pronunciant: ſed Horatius ab ea ſententia populum appellat, res ad populi iudicium reijcitur. Tum ergo ſenis, orbíque trium liberorum parentis lachrymis, & pro concione orationibus, actam inſignis actæ rei memoriam, reum iuuenem populus abſoluit. Tum ergo Duumuiris capitalibus, initium eſſe cœpit: vnius tandem collegæ augmento, triumuiri facti ſunt. Quòd verò capitalibus quæſtionibus præeſſent, & carceris reorum capitalium

cuſtodiam agerent, capitales appellati ſunt: cuius etiam Magiſtratus in damnatione M. Manlij Capitolini opera vſum Pop. Rom. Liuius [1] meminit. Eorundem interuentu triumuirorum in eos, qui cum L. Catilina in Rempub. coniurauerant, animaduerſum eſt: vt meminit Salluſtius [2]. Sed de his ſatis multa: de Præfecto vrbi iam videndum eſt.

[1] Lib. vj.

[2] In bello Catil.

De Præfecto Vrbi. CAP. VI.

DE Præfecto vrbi, nuſquam anteà quicquam repperi, quàm de Sp. Lucretij patris Lucretiæ præfectura: non tamen alios reges præter Tarquinium ſuperbum, præfectos vrbi creare potuiſſe, negauerim. Quò ſeſe res vertat, cum regibus proficiſci, opus foret, penes Præfectum vrbi ſumma rerum relinquebatur. Vbi autem imperium propagatum eſt, totius Italiæ iuriſdictio ad Præfectum vrbi delata eſt. Omnia enim crimina, quæ per totã Italiam admittebantur, vt epiſtola diui Seueri [1] ad Fabium Cilonem cautum eſt, præfectura vrbis ſibi vendicat. In initio verò eius epiſtolæ, ita ſcriptum eſſe perhibetur. Cùm vrbem noſtram fidei tuæ commiſerimus, &c. Quicquid igitur intra vrbem admittitur, ad Præfectum vrbi videtur pertinere. Sed & ſi quid intra centeſimum lapidem admiſſum fuerit, Præfecti Vrbis notio erit. Si vltra centeſimum lapidem admiſſum fuerit, Vrbis Præfecti notio non erit. Audiet ſeruos, qui ad ſtatuas confugerint, aut qui de dominis conquerantur, quod de ſuo pecu-

[1] L. 1. in pr. D. de offic. præf. vrbi.

peculio empti, non manumittantur. Audiet patronos egentes, & qui ſe ægros eſſe dicant, deſiderentque ſibi à Libertis ſuffragium impendi. Relegandi etiam deportandique in inſulam, poteſtatem Præfectus huiuſmodi obtinet. Si quis autem ſeruum ſuum in vxorem ſuam adulterium commiſiſſe aſſerat, apud Præfectum vrbi erit audiendus. Neque eſt alienum ab eius poteſtate, vt coram ipſo interdicta, quòd vi aut clam exerceantur. Solent item ad Præfectum vrbi tutores, curatoresque remitti, qui malè in tutela, curáue verſati fuerint, quique grauiore animaduerſione, quàm vt ſuſpectorum crimen incurrant, indigent, ſeu quos probari poſſit, datis muneribus tutelam occupaſſe, ſeu accepta mercede, operam dediſſe, quo minus idoneus tutor alicui aſſignaretur, vel conſultò circa edendum patrimonium ipſius, quantitatem minuiſſe, ſiue euidenti fraude pupilli bona alienaſſe. Id quoque iniunctum eſt huic Magiſtratui à diuo Seuero[2], vt mācipia tueatur, ne proſtituantur. Curare præterea Præfectus vrbi debet, vt nummularij probè ſe gerant, circa ſuæ profeſſionis negocia obeunda, temperentque ab ijs, quæ leges non admittunt. Si autem patronus contemni ſe à ſuo liberto docuerit, aut contumelioſum ſibi libertum queratur, ſiue ſe conuicium ab eo paſſum, liberóſue ſuos, vel vxorem, aut quid huic ſimile, obiectum fuerit, Præfectus vrbi adiri ſolet: & pro modo querelæ, corrigere eum, aut comminari, aut fuſtibus

2 d. L. j. § quod autem

caſtigare, aut vlterius procedere in pœnam ſolet. Quòd ſi delatum ſe, à liberto, aut contra ſe, cum inimicis conſpiraſſe doceat, etiam metalli pœnam, in eum Præfectus conſtituet. Cura etiam rei macellariæ omnis, iuſto vt precio veneat, ad officium Præfecti pertinet, & ideo forum boarium, ſuarium, piſcarium, & olitorium ad eiuſdem Præfecti curam pertinet. Ad tuendam quoque popularium quietem, diſpoſitos ſtationarios milites habere debet, curareque, vt ſibi, quid vbique agitur, per delatores renuncietur. Poteſt etiam vrbi negociationi, profeſſionibus, aduocationibus, & foro ad tempus, & in perpetuum. Sed cum multo tempore Præfectus vrbi creatus fuerit, demum illius ditione deleta, & ad prætorem tranſlata, Latinarum feriarum duntaxat cauſa creari cœptus eſt. Et cùm cæterorum omnium Magiſtratuum fora quieſcerent, ſoli præfecto vrbi Latinarum cognitio, relinquebatur. Hoc viſum eſt, vt de præfecto vrbi Latinarum ſubijcerem: ne quis alteram Magiſtratus ſpeciem eſſe arbitraretur. Pleraque, quæ ad Præfecti ditionem pertinere videbantur, de induſtria omiſi: nam tempus viſum eſt, vt de conſulibus agerem.

De Conſulibus. CAP. VII.

Conſularem poteſtatem regiæ poteſtatis exemplo accerſitam fuiſſe, vetuſtatis monumenta declarant. Exactis enim regibus, duo viri creati ſunt, quibus præ-

ter quàm quòd annuum imperium datum eſt, nihil aliud immutatum eſt. Itaque lictores, & trabeam cæteráque regum inſignia, retinuere. Quòd autem cōſulere Rempub. deberent, conſules appellauere. Iniunctumque, vt omnium, quæ è Repub. fore arbitrarentur, diligenter curam agerent. Primi conſules, poſt exactos reges fuere, L. Iunius Brutus, & L. Tarq. Collatinus. Brutus cum collega egit, vt penes alterum duntaxat faſces forent, ne ſi penes vtrunque populus conſpexiſſent, duplicatum terrorem ex vno ad duos reges quereretur. Duodecim erant numero lictores, qui cum faſcibus cuique conſulum ſecures præferebant. Quem numerum lictorum elegiſſe Romulum ferunt, eò quod duodecim vultures in Auentino monte, cum augurijs cum fratre contenderet, inſpexit. Nonnullis autem, atque idoneis auctoribus, hæc, vt pleraque alia, ſcilicet apparitores, ſellam curulem, togam & prætextam ab Ethruſcis finitimis populis aſciuiſſe, veriſimilius videtur. Ethruſcos, ſcilicet, cum duodecim populis conſtarent, rege communiter creato, ſingulos vnũ lictorem regi exhibuiſſe. Lictores autem à ligando dictos exiſtimant, quòd quem conſules prehendi, ligaríque iuſſiſſent, præſtò ad parendum eſſent, & venientes conſulibus obuiam, de equo deſcendere iuberent. Iunio autem Bruto altero, ex primis conſulibus, in bello extincto, cùm ſolus P. Val. in conſulatu remanſiſſet (Hic enim in Tarquinij Collatini locum ſuf

fectus

fectus erat, quod ille ob inuiſum Tarquiniorum genus, ſe conſulatu abdicare compulſus eſſet) vt ſunt mutabiles vulgi animi, in ipſum non inuidia modò, ſed ſuſpicio etiam cum atroci crimine oborta eſt. Et cùm conſul aduocata concione ſe expurgaſſet, auctor eſſe inſtituit ferendæ legis, vt aduerſus omnes Magiſtratus eſſet prouocatio. Tum igitur conſularis auctoritas, regia poteſtate longè inferior eſſe cœpit, ac libertatis iacta ſemina, mirum in modum coaluiſſe viſa. Conſules, niſi ex patribus creari, quòd apud alios auſpicia non eſſent, religionē fore creditum aliquando eſt. Profligato tandem Gallico bello (eo ſcilicet, quo T. Manlius torque hoſti Gallo, quem ſingulari certamine occiderat, detracto, Torquati cognomen ſibi, poſteriſque ſuis clariſſimum dedit) aſſiduis tribunitijs ſeditionibus victi, alterum ex plebe conſulem creandum conceſſere. Primus autem de plebe conſul L. Sequacius creatus eſt, & cùm anteà tribunos militum, qui pro conſulibus eſſent, ex ſuo quoque ordine creari plebs obtinuiſſet, ſępenumero creationi tribunorum, conſularis poteſtatis intermiſſio occurrit, adeò, vt duobus aliquando, nonnunquam pluribus, ſæpè etiam paucioribus annis conſulare imperium vacauerit. De conſtitutione verò conſularis poteſtatis, illud vulgò compertum eſt, habitis, videlicet, per conſules, ſiue alterum duorum, ſiue per Interregem, aut dictatorem, comitijs, quæ tribuum, centuriarumque conuentu ac

tū ac ſuffragijs conſtant, & in campum Martiū accitis, qui conſulatum petituri ſunt, in campum deſcendunt, atque eò, quòd tunc candidis veſtibus induti ſunt, Candidati vocantur. In quem igitur populi ſuffragia, conſularibus habitis comitijs, auſpicijsq́ue ritè peractis, concurrebatur: is erat conſul deſignatus. Sed quoniam de comitijs habuimus mentionem, non incongruum eſt, hic nonnihil ex ijs, quæ ad nos vſque peruenerunt, adſcribere. Comitiorum enim alia calata, alia tributa nuncupantur. Calata verò dicta ſunt, eò quòd calari, id eſt, vocari per lictorem ſolebant: Ea verò in centuriata & curiata diuiduntur. Curiata ex curijs, quæ triginta numero erant, & omne genus ciuium continebant, per lictorem curiatim vocabantur. Centuriata verò, per cornicinem ex cenſu & ætate accerſebantur. Tributa verò ex omnibus regionibus vrbis, ac tribubus (vt reor) nuncupata conſtabant. Centuriata autem intra pomerium fieri nefas erat, quia exercitum, vt ferunt, extra vrbem imperari oporteat, intra vrbem imperari ius non ſit. Propterea Centuriata in campo Martio haberi, quòd exercitum imperari præſidij cauſa ſolitum ſit. Illud præterea neceſſarium, conſulatum petentibus, vt per ſeipſos comitijs intereſſent, per alios petendi facultas nullo pacto decernebatur, quod etiam præſcribendis cæteris Magiſtratibus, obſeruatum animaduertere eſt. Eam præterea poteſtatem, qua de agimus, & filijfamilias, & ſui iuris

con-

conſtituti conſequuntur, ſeque ipſos apud ſe ſua auctoritate emancipandi facultas eſt. Tandem etiam inſtitutum, vt qui conſules facerēt, ipſo iure abſque emancipatione à patriæ poteſtatis vinculo liberarentur. Sed de Conſulibus ſatis: iam de ſumma dictatoris poteſtate, quæ colligere potui, deinceps adijciam.

De Dictatore. CAP. VIII.

DIctatorem Albanos, priuſquam Romanos habuiſſe, quippe qui Metium Suffetium habuerunt, teſtis eſt T. Liuius[1]. Apud Romanos verò, primus dictator factus eſt T. Largius primùm conſul, quo anno, quibúſue conſulibus, non ſatis conſtat. Illud verò liquet, Latino, Sabinoque bello impendēte, ſexagintáue populis in Romanos con iuratis, concitante Octauio Mamilio Tuſculo, Tarquinij Superbi genero, quem tum penes exulabat, dictatorem Romæ creari, inſtituiſſe. Ea ſumma quidē apud Romanos poteſtas fuit, à qua, nec prouocandi ius fuiſſe, & animaduerſionem in capite cuiuſcunque ciuis Romani, totiusque Reipub. ſummam ditionem penes ipſum habuiſſe, veterum ſcripta teſtantur. Lictores & vniuerſa regum inſignia, dictatori attribuere. Quod autem ſummum ei in populum ius, ſummaque poteſtas fuit, magiſter populi cognominatus eſt, ex quo factum, vt qui poteſtatem aliquam de publico haberet, vtpote, illam, quæ è ſuprema dictaturæ poteſtate ortum duce-

[1] Lib. II.

duceret, Magiſtratus, velut à candido candidatus, appellaretur. Dictator haud alio pacto creari conſueuit, quàm cùm vis aliqua maior de improuiſo oborta, ingentem vrbi cladem minitari videretur. Prius non niſi ex patribus velut pleraque alia, Dictatorem legi fas fuit, tandem, vt cætera quoque idipſum immutatum eſt. Bello enim, quod Pop. Rom. cum Tarquinienſibus, Faliciſque geſſit, primus de plebe dictator creatus eſt C. Martius Rutilus, qui & ipſe Magiſtrum equitum etiam de plebe hominem C. Plancium dixit. Hunc Magiſtratum, quoniam quàm ampliſſimus eſſet, non niſi ſex menſibus retinere licuit: quòd verò futuros dictare Magiſtratus ſolitus ſit, appellatum eſſe dictatorem, M. Varro ait. Huius etiam prætextu Magiſtratus, L. Sylla, ac deinde Iulius Cęſar Rempub. oppreſſere, tyrannidis inuiſum, atque infame nomen euitare cupientes. De dictatore ergo, quantum per veterum diſquiſitionem licuit, circumſcripto: de Magiſtro equitum animaduertamus.

De Magiſtro equitum. CAP. IX.

QVales Tribuni Celerum apud Reges, tales ferme apud Dictatores Magiſtri equitum fuere, & vt dictatori ſummum ius in populum fuit, ita in omnes milites & accenſos, Magiſtro equitum fuiſſe traditum eſt. Primus Magiſter equitum Sp. Caſſius fuit, à T. Largio primo Dictatore crea-

creatus. Id demum officij fuit Magiſtris equitum apud Dictatores, quod tandem præfecto prætorio apud Cæſares. His ergo paucis de Magiſtro equitum contenti: de Tribunis plebis videamus.

De Tribunis plebis. CAP. X.

TRibunis plebis creandis initium fuit ſeceſſio plebis, à patribus, in montem Sacrum facta. Tranſacto enim bello, hinc Volſcorum, illinc Equorum atque Sabinorum, cùm ex promiſſis patrum ferendæ legis, de liberanda à nexibus fœneratorum plebe, ſpes certis quibuſdam iudicijs verſaretur, quæ tamen quadam calumnia, ac nimia luſione protrahi videretur à patribus, M. Valerio dictatore creato, qui ad populares ſeditiones comprimendas, ingensque gerendum bellum mitteretur, cùmque pro plebe, ad ferendam legem intercedere cœpiſſet, & quòd ſe & plebem fruſtrari videret, Magiſtratu ſe abdicauiſſet, accederetque ad indignationem plebis, quòd patres plebis animos à ſeditionibus auertere rati, ſub prætextu ſacramenti conſulibus præſtiti, nouo bello cogere, ad militandum, adnitebantur. Plebs permoleſtè id ferens, in montem Sacrum, qui eſt trans Anienem, tertio ab vrbe miliario, ſeceſſit. Quòd cùm ingentem trepidationem incuſſiſſet patribus (quonam enim modo vrbem omnium militum robore exhauſtã, ſi qua vis belli aliqua ex parte irrepſiſſet, tutari

Remp.

Remp.facultas dabatur) Menenium Agrippam ſummæ ea tempeſtate auctoritatis virum, plebi charum pariter,ac patribus, legatum ad componendam popularem ſeditionem decernunt, qui graui vſus oratione, apologum de conſpiratione membrorum cōtra ventrem induxit, quemadmodum nihilominus ſibi quam ventri ea conſpiratio cladem attulerit, qua vſque eò deliniuit plebis animos, vt illius opera pacem cum patribus iniuerit. In cuius pactione fœderis,conuenit, vti plebeios in vrbe Magiſtratus obtinerent. Duos ergo Tribunos tum habere plebs cœpit,A. Vir.T. Vetuſio conſulibus. Alia rurſus ſeceſſione,tres additi,Appio Claudio, & T. Quintio conſulibus. Mox quinque item alij, conſulibus M. Horatio Puluillo, & Q. Minutio. Hoc pacto decem tribunis in plebē Rom. fuit iuriſdictio.Tribunorum verò demum eum in modum creuit auctoritas, vt quicquid ſenatus decreuiſſet, ita demum ratum haberetur, ſi tribuni approbauiſſent. Stabant ergo in veſtibulo curiæ, vbi habebatur ſenatus (templum enim ingredi non licebat) & quæcunque ſenatus decreuiſſet, tribunis animaduertenda perferebantur, vt ſi è Republica fore viderentur, approbarent, cætera ad arbitrium reijcerent, tum quæ ſenatus conſulta approbaſſent, T. literam in tergo adijciebant, haud alio quidem pacto rata iudicatum iri. Sed de Tribunitia poteſtate, ſi latiùs patere quicquam nobis voluerimus, Labeonis Antiſtij iuris peritiſſimi extat

ſententia, cuius verba quemadmodum apud Aul. Gellium [1] ſcripta reperi, ita ipſe adſcripſi. In quadam, inquit, epiſtola Attei Capitonis ſcriptum legimus, Labeonem Antiſtium legum atque morum Pop. Rom. iuriſque ciuilis doctum apprimè fuiſſe, ſed agitabat, inquit, hominem libertas quædam vecors vſque eô, vt diuo Auguſto iam principe, & Rempub. obtinente, ratum tamen penſumque nihil haberet, niſi quod iuſtum, ſanctumque eſſe in Romanis antiquitatibus inueniſſet. Ac deinde narrat, quid idem ipſe Labeo per viatorem à tribuno plebis vocatus reſponderit. Iuſſit eum qui miſſus erat, ad tribunos redire, eisque dicere, ius eos non habere, neque ſe, neque alium quenquam vocandi, cum moribus maiorum, tribuni plebis prehenſionem haberent, vocationem non haberent. Poſſe igitur eos venire, & prehendi ſe iubere, ſed vocandi abſentem ius non habere.

¶ Idque etiam apud Varronem in libro rerum humanarum ſcriptum aſſerit, idem Aul. Gellius [2]. Qui ſanè Varro, cùm triumuir eſſet, aſſerit ſe à tribunis plebis vocatum non iſſe, & cum tribunus plebis eſſet, vocari neminem iuſſiſſe: Maximæ verò partes tribunorum in interceſſionibus extitere (id quidem eſt, vim à cæteris Magiſtratibus prohibere fieri) haud minores in legibus ad populum ferendis, quæ plebiſcita appellantur. In quibus ſanè rogandis, patrum intereſſe nulli admodum ius fuit. Quinetiam in prouincijs proconſularibus aſſignandis: vt videre apud Plu-

[1] Lib. xiij. cap. xij.

[2] d. cap. xij.

Plutarchum in vita M. Catonis, maximè in tribunatu P. Clodij licet. Illud etiam obſeruatum eſt inter tribunos, vt ſi cæteri omnes vnam rem probaſſent, vnus verò id prohibuiſſet, plus cæteris quidem omnibus in ea prohibitione polleret, & reliquos omnes facilè impedire poſſet. Sed de Tribunitia poteſtate hactenus: iam de Proconſulari hîc pauca videamus.

De Proconſulari Poteſtate. CAP. XI.

DE hac quidem poteſtatis ſpecie, nihil quicquam prius reperi, quàm bello à Pop. Rom. cum Equis infeliciter geſto, maximoque terrore vrbi illato. Tum enim conſul, qui in vrbe remanſerat, quò ſerioſius delectum facere poſſet, proconſulem creauit, qui obſeſſo collegæ auxilium ferret. Creatus eſt igitur Proconſul T. Quintius A. Poſthumio Albo, & Sp. Furio Conſulibus. Quòd verò pro ipſis Conſulibus mitterentur, eorumque vice functuri eſſent, proconſules appellati ſunt, ijs Magiſtratibus cætera quidem conſularia inſignia conceſſa ſunt, præterquam quòd ſex duntaxat lictoribus vti, iniunctum eſt. Qua tempeſtate, non ordinaria quidem, ſed delegata iuriſdictione proconſul (de quo agimus) vtebatur, quamuis poſtea vſu euenit, vt propria huic Magiſtratui iuriſdictio competeret, inſtituerint. Propagatis enim imperij finibus, compluriumque, & ingentium bellorum adminiſtrandorum cura exorta, obſeruari cœptum, vt vt quo quique anno conſules fuiſſent, ſequen-

ti proconſules remanerent,& varias prouincias cum imperio ſortirentur. De finibus autẽ proconſularibus, quæ nanciſci potui, ea breuiter ſubijciam. Poteſtatem ſuam procõſul,niſi in ea prouincia,quã eſt ſortitus, exercere non poteſt, quanuis voluntariã (vt aiunt)iuriſdictionẽ vbique exerceat, ea eſt: auctoritatem manumittere ſeruos ſuos apud ſe volentibus, aut ſe adoptandos dare, paſſim præſtare. Contentioſam verò iuriſdictionem, præterquam in prouincia tractare non poteſt,nec quicquam in ea prouincia negotiorum exoritur: quin ad proconſulis adminiſtrationem pertinere ſoleat. Sin autem fiſcalis cauſa inciderit, melius faciet ad procuratorem Cæſaris deferre. Si vxorem ſecum in prouinciam duxerit, quod non feciſſe decentius putabitur, eaque deliquerit, in eam ipſam animaduertet. Obſonijs dono miſſis, vt prorſus abſtinere non debet, ſic in accipiendis modum ſeruare, valde enim inhumanum eſt,à nemine accipere, paſſim verò viliſſimum & penitus amariſſimum. Ab alijs verò rebus dono miſſis,omnino abſtinere proconſulem oportet. Item ab emptionibus omnium rerum, præterquam victus quotidiani cauſa. Lites verò,quæ ſerioſa excuſſione,animaduerſioneque indigẽt, ſummatim pertractare ac diffinire non debet.

Ita rectius, quàm xenijs, vt in adnot.

Quæ cognitionem exactiorem non deſiderant, vt obſequium parentibus à liberis, & patronis exibeatur à libertis ſummatim animaduerſa pronunciare poterit. Parum autem obſequentes patro-

patronis ſuis libertos, cum verbis paulò atrocioribus exterreat, tum etiam fuſtium caſtigatione coerceat, abſque iudicij ſanè ac fori ſtrepitu. Non habentibus autem aduocatum ob inopiam, ſeu aduerſarij potentiam vltro exhibeat, ac denique vniuerſa expediat, quæ mero (vt aiunt) imperio aſſignari ſolent. Id enim ſignificat gladij poteſtatem in facinoroſos quoſque animaduertendi habere. Sed quoniam negotiorum prouincialium multitudinem, per ſeipſum obire proconſulem perdifficile eſt, legatum proconſules habere ſolent: de cuius poteſtate & officio pauca videnda ſunt.

De Legatis proconſulum. CAP. XII.

SOlent Proconſules ob rerum gerendarũ in prouincia multitudinem, legatos ſtatuere, qui non propria quidem, ſed mandata iuriſdictione vtuntur, quos, priuſquam in prouinciam peruenerint, ſibi ſubſtituere non poſſunt. Si quid autem legato occurrat, cuius rei grauitas exactiorem diligentiam exigat, ad proconſulem remittere legatus debet. Neque enim animaduertendi, coërcendi, ſeu atrociter verberandi legato licentia eſt. Iudices tamen litigantibus, tutores etiam pupillis dare poteſt, cuſtodiarumq́ue, quæ per prouinciam in ſtationibus diſpoſitæ ſunt, ſolet proconſul legato cognitionem commẽdare, nec prius, quàm è prouincia proconſul diſcedat, legatum dimittere conſueuit. Et ſi diem ſuũm obierit in prouin-

cia proconſul, ita demum ſibi mandata negocia exiget, ſi res integra non inueniatur. Sin verò abeſſe à prouincia proconſulem fortaſſe contigerit, cauſas etiam, quæ animaduerſionem exigunt, delegabit. His igitur de legato proconſulis viſis: de Ædilibus iamdudum videamus.

De Aedilibus. CAP. XIII.

ÆDilitatem plebeiam pro vetuſtiſſimo Magiſtratu habeo, &, vtrum ante Tr. Pl. creari cœperint, ambigo. Moueor, quòd ab exactis regibus ad ſeceſſionem in Sacro monte factam, plebs, maxima quidem pars populi Rom. tanto tempore abſque aliquo in Repub. Magiſtratu, à quo tueretur, extiterit. Quin apud Liuium[r] haud multo poſt Tr. Pl. creatos peſtilenti quodã tempore, cùm & conſulum alter obiſſet, alter verò ægram animam traheret, apud ædiles plebeios, & conſularem, & tribunitiam poteſtatem, & tandem totius Reipub. ſummam reſediſſe conſtat. Non quod illos tunc primum creari cœptos appareat, ſed quòd longè anteà creatos eſſe potuiſſe facilè ſit. Creſcentibus autem plebeis opibus, ita vt etiã dictatores, ac pontifices de ſuo quoque corpore præſtarent, tum patres multoties certamine à plebe victi, duos ædiles plebeios ex patribus creandos peruicerunt. Nam cum ædilibus plebeis ludos faciendos, ſolenneſque pro ordinibus in concordiam redactis dies, in faſtis referendos mandarent, negarentque ſe id facturos

[r] Lib.iij.

eſſe

eſſe ædiles plebis, conclamatum eſſe à iuuenibus patritijs dicitur: ſe id honoris, deorum immortalium cauſa, libenter acturos, vt alij ædiles fierent, quibus cùm ab vniuerſis gratiæ actæ eſſent, Senatuſconſultum factum eſt: vt duos viros ex patribus, qui ædiles forent, dictator populum rogaret, patres comitijs auctores fierēt. Duo ergo tamen patritij ædiles creati ſunt Cn. Quintius Capitolinus, & P. Cornelius Scipio. Sed duos tandem ædiles creatos alios à Iulio Cæſare, qui quoniam frumento præeſſent, Cereales appellati ſunt, vt apud idoneos inuenio auctores. Ædiles à ſacrarum ædium quam gerebant cura, appellati ſunt. Curules verò ij, qui ex patribus creati ſunt, quoniam ſella curuli veherentur, cognominati ſunt. Plebei vero & Cereales iam adeò manifeſto cognomine ſunt, vt interpretatione noſtra non egeant. Ludos inſtituere, qua impenſa, quibúsue in ſpectaculis fierent, ad ædilium partes pertinebat. Id etiam erat haud leue ædilitatis munus, vt ſua quiſque ædilis factus impenſa, ludos pro modo patrimonij, ac dignitatis ſuæ celebrandos curaret, cuius inſtituti M. Cicero in ijs libris, quos de officijs inſcripſit, cum de ſua, & Magni Pompeij ædilitate meminit, locuples teſtis eſt. Aſconius [2] autem Pedianus, Pompeium ædilem creatum, theatrum, quod ſumma impenſa ædificauerat, magnificentiſſimis ludis, in quibus currus cum elephantis induxerit, dedicaſſe ait. Id etiam in argumentis comædiarum, quibus

[2] In Orat. Cic. contra L. Piſo. in fi.

nomina ædilium, qui ludis præfuerant, adſcripta ſunt, facilè eſt animaduertere. Locorum autem diſcretio, & cuilibet ordini pro dignitate aſſignatio, ædilium muneris eſt. Val. Max.[3] in libris dictorum ac factorum memorabiliũ ſcripſit, Attilium Seranum, & L. Scribonium ædiles, ſenatus ac plebis loca ſecreuiſſe. Quod ſi ſeruum quiſpiam, aut iumentum morboſum, aut vitioſum, pro integro, ſanoque venum dederit, edicto ædilium emptori ſuccurretur. Quòd verò cloacæ publicæ, & aquæ ductus, cæteraque ædificia lauta, munda, integraque & expedita aſſeruarentur, ædilium officium eſt. Denique, quicquid rerum vicioſarum pro ſyncero, fractum pro integro vſquam veniſſet, ædilitio edicto redhiberi ſolet. De Ædilibus hæc habui, quę dicerem: de decemuiris pauca videamus.

3 Lib. 11. tit. de inſtit. antiq. cap. de more ludorum.

De Decemuiris, legum ferendarum cauſa, creatis. CAP. XIIII.

DEcemuiris ſummam poteſtatem ineuntibus, Magiſtratus omnes, qui Rempub. gerebant & regebãt, exoleuere: quibus creandis, hoc in cauſa fuiſſe, perhibetur. Plebe enim quotidianis ſeditionibus, tum ob creandos de plebe Magiſtratus, tum ob ferendam legem de ſoluendo à nexibus fœneratorum, ſæpe etiam de connubio, vt nubere liceret plebi cum patribus, nonnunquam ob ferendam legem agrariam, diuina ſimul humana-

que

que omnia miſcente,& tandem cõmunes quaſdam leges ferri petente, ne quis eſſet inuidiæ locus, leges extraneas accerſiri placuit. Miſſi ergo tres Athenas ſunt legati,qui inclytas leges Solonis ſcriptas ferrent, iura etiam & mores aliarum ciuitatum noſcerent. Ii fuere, Sp. Poſthumius Albus, A. Manlius, & P. Sulpitius Camerinus. Legati igitur anno tertio, quàm receſſerant, leges ſcriptas referunt, pro quibus ſanè cenſendis, promulgandiſque centuriatis comitijs (quod vt ſanctiores eſſent, fieri oportebat) decemuiros creant, qui ſuo arbitratu leges promulgarent. Ii fuere, App. Claudius, T. Genutius, P. Sextius, L. Veturius, C. Iulius. Aul. Manlius. P. Sulpitius, P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Poſthumius. Placuitque, ne ab horum poteſtate eſſet prouocatio. Penes alterum verò, vt ſors foret, quoaduſque omnem numerum peruaſiſſent, certis diebus lictores forent. Eodem ergo anno de cera † tabulas edunt, poteſtatem inſpiciendi omnibus faciunt, edicunt, agitent ſecum omnes, ſi quid emendari, ſuppleri, minuíue opus eſſe cenſeant, omnium ſe ſententias æquo audituros eſſe animo. Poſtquam ſatis emendatas eſſe apparuit, decem tabulis ſcriptas leges, centuriatis comitijs perferunt, ac ſimul ſe Magiſtratu abdicant. Cùm verò rumor percrebuiſſet, duabus alijs tabulis ius pop. Rom. plenum & abſolutum fore, iterum, habitis comitijs, alij decem viri ſubrogati ſunt. Tum Appius, cui comitia habere datum fuerat,

Sic habet vetus exemplar ſcriptũ: etſi hactenus de cera, decẽ legebatur.

ſeſe contra ius fasque decemuirum creat. Collegæ fuere, M. Cornelius Maluginenſis, M. Sergius, L. Minutius, Q. Fabius Vibulanus, Q. Petilius, T. Antonius Merenda, Ceſo duellius, Oppius Cornicenſis, M. Rabuleius. Operepretium eſt audire, quam ij decemuiri per ſpem ac libidinem dominandi, omnem Reipub. ſpeciē deleuerint. Idibus Maijs coiniuere Magiſtratum, cum duodenis ſinguli faſcibus forum compleuere. Neque enim ad rem pertinere demi ſecures, quando abſque prouocatione creati eſſent, interpretabantur. Decem ergo ſe, regum inſtar, primo conſpectu præbuiſſe ferunt. Incredibile eſt enim, quantum ea ſpecies vrbi terroris iniecerit: Neque ſuus vrbem fefellit timor. Primùm cùm abſtinere à patribus cœpiſſent, in humiliores libidinem, crudelitatemque exercebant. Hominum, non cauſarum toti erant, vt apud quos gratia potius, quàm æqua vim iudicia haberent. Domi contrahebant, pronunciabant in foro. Si quis collegam appellaſſet, ab eo, ad quem appellauiſſet, ita diſcedebat: vt pœniteret, prioris decreto non ſtetiſſe. Opinio etiam fuit, fœdus clam inter eos iureiurando ictum, ne comitia haberent, perpetuoque decemuiratu poſſeſſum ſemel obtinerent imperium. Hac conditione iam maior anni pars proceſſerat, & duæ tabulæ ad decem alias adiectæ fuerant, nec aliud quicquam ſupererat, niſi vt centuriatis comitijs, perferrentur. Hoc peracto, cùm laberetur annus, nullaque comitio-

rum

rum mentio haberetur: & quamuis anni exactione factos priuatos plebs obſtreperet, ac libertatem prorſus amiſſam conquereretur: eò illi nihilo minore faſtu, ac petulantia abutebantur. Sed hæc vrbanos inter ſtrepitus, cùm nunciatum eſſet bellum à Sabinis. Equísue impendere paululum intercidit. Habito enim delectu decemuiri, armato exercitu in bellum prodeũt. Dum bellum vario euentu geritur, App. Claudius decemuir, qui gerendis rebus vrbanis remanſerat, plebeiæ virginis, cuius amore deflagrabat, ſtuprandæ conſilium capit. Pater eius L. Virginius, qui tum honeſtum ordinem in caſtris ducebat, Icilio cuidam tribunitio viro, puellam deſponderat. Hanc virginem forma egregiam, cùm Appius primùm prece ac precio pellicere tentaſſet, parumque ſibi ſuccedere cuncta cerneret, ad crudelem, ſuperbamque vim, animum conuertit: M. Claudio clienti negociũ dat, vt coram ſe pro tribunali ſedente, puellam in ſeruitutem aſſerat. Cæteros omnes, qui in libertatem aſſerant, reiecturum promittit. Oportunitatem ergo nactus M. Claudius libidinis miniſter: tranſeunti per forum puellæ, ſceleratas manus iniecit, ſeruam ſuam, ſeruaque natam appellans, ac ſequi ſe puellam iubet: Cunctantem vi abſtracturus eſſe videbatur, cùm ad clamorem ereptæ, nutricisque fidem Quiritum implorantis, multitudinis concurſus factus eſt: iamque à vi tuta eſſe videbatur: Tum Claudius nihil eſſe opus tumultu ait, ſe iure graſſari, ſi

non crederent,ſe ad tribunal ſequeretur. Cùm ad tribunal ventum eſt, petitor apud argumenti auctorem agit,puellam domi ſuæ natam, furtóque ſubtractam,in domum Virginij, pro filia eſſe ſuppoſitam. Interim dominũ ancillam ſequi,quod ita æquitas dictaret,interloqueretur. Compoſuerat ita ſe facturum App. Claudius, ne ſine cauſæ cognitione, pronunciare in ſeruitutem videretur. Tum aduocatis puellæ intercedentibus, patrem Reipub. cauſa abeſſe, iniquum de liberis abſentis agi, cæteráque huiuſmodi allegantibus: Icilius vir, & Numitorius auus ſuperueniunt. Icilium autem,vt erat vir acer,multa intrepidè vociferantem,Appius per lictorem ſummoueri iuſſit. Sed cum ille conſtantiſſimo animo reſiſtere pergeret, ac multitudinis concurſus ingens fieret: Appius,ne exortus tumultus, nouandi res occaſionem faceret, vades de virgine in poſterum diem ad iudicium ſiſtenda,dari iuſſit. Interea patrem accerſunt nuncij, aduolat in vrbem pater, ac prima luce ſordidatius filiam obſoleta veſte, cum aliquot matronis ſecum in forum ducit. Vociferat,opem ferant, lamentatione & querelis omnia implet. Idem Icilius,idem puella ac matronæ faciunt. Aduerſus hæc omnia,Appius obſtinato animo tribunal aſcendit, vindicias ſecundum ſeruitutem decreuit,quod decretum cùm ingentem admirationem incuſſiſſet,ac M.Claudius iret ad comprehendendam virginem,tunc pater intẽtans in Appium manus, Icilio inquit:

non

non tibi Appi filiã meam deſpondi ad nuptias, non ad ſtuprum educaui: ſed quæſo patrio dolori ignoſcas, ſi quid ſum in te inuectus inclementius. Sinas ergo coram virgine me nutricem percunctari, quid hoc rerum ſit: vt ſi falsò pater ſim, re comperta, æquiore hinc animo diſcedam. Seductam ergo filiam, percunctandi prætextu, rapto è taberna lanij cultro, filiam interemit. Quid multa? Rei indignitate pariter omnes commoti, in forum concurrunt. Appius autem, vt tumultuari cœptum videt, quò vitæ conſuleret, obuoluto capite effugit. Plebs ergo recuperandæ libertatis occaſione nacta, arreptis armis, duce Virginio in Auentinum recedit. Nec minus Icilius in caſtris militum concitat multitudinem, plebiſque vrbanæ exemplo, decem tribunos militares creant, ingentique cum exercitu ad vrbem accedunt, alteri ſe exercitu coniungunt. Hoc pacto armata plebs ſecedere ſtatuit. Eó ergo, quicunque per ætatem, valetudinemque potuerunt, cum vxoribus liberiſque peruenire. Iis tantis motibus rerum, perculſi decemuiri, ſenatum frequentem fieri iubent. Rogant, quid è Repub. fore cenſent edicere. Demum cùm multa vltro citroque in ſenatu agitata eſſent, ac plerique ſenatores intrepidè decemuiros oratione caſtigaſſent, decem Tarquinios appellantes: decemuiri tandē futuros ſe in poteſtate patrum affirmarunt, modò ſeſe ab iniuria tuerentur, ac ſimul legatos mittere ad res componendas ſtatuunt. Miſſi

ergo

ergo legati, M.Horatius, & L.Valerius probatiſſimæ exiſtimationis viri, de conditione pacis, cum plebe, agunt. Petebat autem plebs inter conditiones pacis, ad ſupplicium decemuiros, quod legati primùm (compoſitis orationibus) diſſuaſerunt plebi. Contenta igitur plebs fuit, vt ſui ſibi tribuni reſtituerentur, &, vt conſueuerat, rediretur ad conſules. Interim abdicant ſe Magiſtratu decemuiri. Comitia conſulibus, tribuniſque creandis habentur. Hoc pacto creatis, exactiſque decemuiris, ad prioris formam regiminis reditum eſt. Hæc de Decemuiris: de præfecto Annonę aliquid ſubijciamus.

De Præfecto Annonæ. CAP. XV.

QVoniam de poteſtatibus agere inſtitui, ratio temporis admonet, vt de Prefecto annonæ (extra ordinem tamen creari conſueto) nonnihil adijciam. De quo ſanè Magiſtratu, nihil quicquam priùs repperi, quàm Appio Claudio, & P. Seruilio conſulibus, eoque anno, quo Tarquinius Superbus exul apud Ariſtodemum tyrannum mortuus eſt. Tum inter conſules orta contentio dicitur, de dedicatione ædis Mercurij, quæ ſanè hac conditione, ſopita eſt: quod vter dedicaret Mercurij ædem, is quidem annonæ præeſſet. Populus dedicationem dedit M. Lectorio Primipilo, non tam ob hominis ipſius meritum, quàm ob ignominiam conſulum, haud probè

in

in Magiſtratu obuerſatorum. Cæterum, vt hoc apud Liuium [1] non mihi planum vſquequaque apparet, credo errore ſcribentium, ita de L. Minutio præfecto annonæ, haud multo tempore vſquequaque pòſt manifeſtum eſt. Huius Magiſtratus, difficili tempore & caritate annonæ, vſus potiſſimum, atque opera exigebatur. Frumentum vndique coemendum, & ſi quis vltra proprios vſus poſſideret, in medium ponendũ curabat, aduehi vndique, & aduectũ diſtribui, & iuſto precio venire moliebatur. Cuius ope Magiſtratus egregia, Pop. Romano penuria laboranti ſæpè opera nauata eſt. Eam poteſtatem qua de agimus, cùm Pompeius ille Magnus gereret, atque è Sicilia cum magna vi frumenti ſoluere pergeret, ac gubernatores claſſis, non ſe committendos, maximè ſæuienti, pelago dicerent, illam ſaluberrimam Reipub. vocem edidiſſe fertur. Nauigare enim, inquit, neceſſe eſt, viuere neceſſe non eſſe. Tantus præterea annonæ huius cauſis fauor [2], auctoritasque [3] acceſſit: vt quæ alioquin perſonæ, ad accuſationem minus idoneæ eſſent, hac tamen in cauſa admitterentur: huiuſmodi ſunt mulieres infames, & quæ ſunt eius generis, quo nos etiam iure [4] vtimur. Sed de præfecto annonæ ſatis: nunc de Tribunis militum, conſulari poteſtate, pauca inſpiciamus.

[1] Lib. iiij.

[2] Ic. Mart. ff. Mulieres D. de accuſar.

[3] Impp. Veri & Antonini L. Imperatores. D. Ad. L. Iul. de annona.

[4] dd. LL.

De Tribunis militum, conſulari poteſtate.

CAP. XVI.

CRebris quidem ſeceſſionibus plebis à patribus, quibus conſules de ſuo quoque corpore creari peteret, externis etiam bellis ingruentibus, plebeq́ue ipſa delectum pati negante, coacti tandem patres ſunt, vt aut ciuibus, aut hoſtibus de victoria concederent. Ab quorundam autem ſententijs, quoniam tribunos plebis cæde violandos putarent, quos, fœdere cum plebe icto, ſacroſanctos haberent, primores patrum abhorrebant. Per hæc conſilia eôres deducta eſt, vt rogatione Camildi, tribunos militum, qui pro conſulibus eſſent, tam ex plebe, quàm ex patribus, promiſcuè creari patres, ſinerent, de conſulibus nihil immutaretur. Tres ergo tribuni conſulari poteſtate, qui militares vocarentur, creati ſunt, ijq́ue conſtituti ſunt vario numero. Interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores. Superiores autem tres hi fuere: Au. Sempronius Atratinus, L. Atilius, & T. Clœlius patritij omnes. Plebs enim eò duntaxat contenta fuit, quòd eius ratiọ habita eſſe videretur. Tunc igitur primò à conſulibus, ad tribunos militares, conſulari poteſtate ventum eſt, M. Genutio, & P. Curiatio conſulatu abeuntibus. Penes quem ſanè Magiſtratum (vt ipſum nomen indicat) eadem, quæ apud conſules, poteſtas erat, collata eſt, nominibus tantum immutatis, ac plebis ratione haberi cœpta. His ergo

de Tri-

de Tribunis militum delibatis, Cenſorum poteſtatem iamdudum conſideremus.

De Cenſoribus. CAP. XVII.

CVM ob multa & varia bella, ciuileſque ſeditiones, Romæ pluribus annis populus incenſus manſiſſet, neque eſſet luſtrum aliquod de more conditum, neque differri cenſus poſſet, neque conſulibus, cùm multum bellorum immineret, id negocij agere operæpreciũ eſſet, mentio inita eſt à ſenatu: rem videlicet operoſam, & minimè cõſularem proprio magiſtratu indigere, cui ſcribarum miniſterium, cuſtodiæque, & tabularum cura arbitriumque, formulæ cenſendæ ſubijcerentur. Tum duo cẽſores creati ſunt, Papyrius, & Sempronius, cenſuique habendo præfecti, ab eaque recenſores appellati, M. Geganio Macerino, & T. Quintio Capitolino conſulibus. Inſtitutumque vt quinquennio is Magiſtratus perduraret, quod tandem tempus, ob cenſorum inſolentiam, immutatum, ad annumque redactum eſt, A. Mamertio, Æmilio dictatore, Iulio Virginio, M. Appio Licinio conſulibus. Mirum quippe dictu eſt, quanto cenſuræ initium parua ab re ortum incremento adaũctum extiterit. Eô quippe peruenit, vt morum, diſciplinæque Rom. ſenatus, equitumque regimen, decoris, dedecoriſque diſcrimen, ſub eius ditione magiſtratus, priuatorum ius, publicorumque locorum vectigalia, Pop. Rom. repoſita eſſent.

In ſenatum allegere, Senatus principem deſcribere, cenſum agere, luſtrum condere, equos adimere: Quos autem putaſſent parum dignos, ſenatu amouere, vt feciſſe fertur C. Fabritius, qui cenſor P. Cornelium Rufinum patritiũ virum ſenatu mouit: quòd decem pondo argenti facti, pro conuiuio appoſuiſſet. M. autem Cato cenſor C. Flaminium T. Flaminij fratrem ſenatu eiecit, quòd exhortatus à ſcorto, vt aliquem ex ijs, qui in vinculis erant (obtinebat enim proconſulari imperio Galliam) ſecuri percuteret, obtemperauit. Quid dicam, quàm leuiſſimis ex cauſis, cenſoriam inurere notam conſueuerint? Nimis corpulentos milites, vnguentoq́ue nitidos, equis ademptis, ignominiaq́ue notatos, exercitu dimiſere. Equiti Romano nimium compto, ſplendidoq́ue, equum ſtrigoſum, & vix oſſibus hærentem, habenti, cùm obequitantes vrbem, cenſores veniſſent obuiam, percunctãtibus: vt quid ipſe tam ruber, & comptus, equus tam macilentus, & ſqualore obſitus eſſet. Hic eques Rom. quoniam, inquit, ipſe me curo, equum verò Statius meus ſeruus. Viſum eſt, id parum reuerens reſponſum, atque ob id ignominia à cenſoribus notatus eſt. Ciuem Rom, qui altius oſcitauiſſet, in auditorio cenſorum ignominiæ nota affecerunt. Sed cùm reſciſſent, non incontinentia, ſed valetudine id factum eſſe, ilico reſtituere. Cùm celebrationi quorundam ſponſaliorum intereſſent, virumq́ue (num ſeam vxorem ex animi ſui ſententia habe-

haberet) de more interrogaſſent, illeque ex parentibus, non autem ex animi ſui ſententia ſe habere reſpondiſſet, eueſtigiò labe ignominiæ conſperſus eſt. Magnoperè enim ab eorum maieſtate alienum eſſe rati ſunt, quòd in conſpectu cenſoriæ ſeueritatis, leuiculus homo adeò ridiculoſè fuiſſet cachinatus. Multa in hoc genere (ne ſim nimis multus fortaſſe) omittenda, vndique allecta, dici poſſent. Sed illud non eſt prætermittendum, quod altero ex cenſoribus morte ſubducto, alterum in demortui locum ſuffici religio fuit. Itaque reliquum abdicari ſe magiſtratu, vt duo de integro cenſores crearentur, inſtitutum eſt. Id enim huic obſeruationi cauſam dedit, quod eo anno, quo Galli Romam ceperunt, altero ex cenſoribus mortuo, alter quidem in demortui locum fuerit ſubſtitutus. Omen ergo viſum eſt, & pro lege perpetua, ne id amplius fieret, obſeruatum eſt. Cenſores verò, cùm præterquam ex patribus duntaxat creari aliquando nefas fuerit, id quoque, vt cætera, immutatum eſt, atque indifferenter fieri cœptum. Illud etiam cenſoribus negocio datum eſt, ne in fœnore modus excedererur. De Cenſoribus igitur abundè dictum ſit: iam de Triumuiris, agris diuidendis, nonnihil dicamus.

De Triumuiris Coloniæ deducendæ.

CAP. XVIII.

ARicini, atque Ardeates, cùm de ambiguo agro ſæpè bello certaſſent, multis inuicem cladibus feſſi, Pop. tandem

Rom.ea de re iudicem conſtituere. Cùm ergo vtriuſque ciuitatis legati,oratum cauſam veniſſent, concilio populi à magiſtratibus dato, magna contentione actum eſt. Iamq́ue editis teſtibus,cum tribus vocari,& populum Rom. inire ſuffragium oporteret, conſurgit P. Scaptius de plebe,magno natu. Et ſi licet,inquit, conſules deRepub. dicere, errare ego populum in hac cauſa non patiar.Sed cùm quaſi vanum,& delirum reijcerent conſules, audiendumq́ue prorſus negarent, pergentem vociferare, publicam cauſam prodi, per lictorem ſubmoueri iuſſerũt. Hic ille tribunos appellat, ad eos admiſſus, tertium & nonageſimum ſe annum agere inquit, eum agrum, de quo duo populi ambigant, tenere memoria fixum, neutrius populi, ſed Coriolanorum fuiſſe, atque eo ſe tempore militaſſe, quo captis Coriolis, is ager iure belli Pop. Rom. factus eſſet: proinde ſe magnoperè ſuadere Pop. ne inutili pudore cauſam ſuam damnaret.Mouit nõ tam hominis auctoritas, quàm commoditas, vſusq́ue agri: tantumq́ue tribunitia poteſtas valuit, vt cùm hac de re latum eſſet ad populum,lex de agro Pop. Rom. adiudicando promulgaretur. Quod ſanè factum,magnoperè dehoneſtauit maieſtatem Pop. Rom. multumq́ue apud finitimas ciuitates infamiæ dedecoriſq́ue contraxit. Quamobrem,cùm id ægrè ferrent patres, ac non multo poſt iudiciũ de Ardeatibus egregiè pro auxilio illis aduerſus Volſcos allato meriti eſſent, cùm tantam infamis

mis iudicij notam, prorſus ex animis delere cuperent, ſenatuſconſultum fecerunt, vt quoniã ciuitas Ardeatum inteſtino tumultu ad paucos redacta videretur: coloni eô, præſidij cauſa aduerſus Volſcos, ſcriberentur. Id cùm latum ad populum eſſet, placuiſſetque, multò plures Rutulos, quàm Romanos colonos aſcribendos, priusque is ager, qui infami iudicio intercœptus erat, quàm alterius agri gleba, aſſignaretur: aut alicui diuideretur, quàm omnibus Rutulis. Eo tandem pacto ager ad Ardeates reuerſus eſt. Triumuiros igitur deducendæ coloniæ creant: Agrippam Menenium, T. Clœlium Siculum, & M. Ebutium Heluam: nec abnuerim, hunc Magiſtratum aliàs à maioribus Romanorum creari potuiſſe. Cæterùm ab inſigniori ratione, & ingenti Pop. Rom. honeſtate exordiri non piguit. Pertinebat verò ad huius magiſtratus officium, vt & agros nouis deductis colonis diuiderent, vrbes deſignarent, ædificare volentibus areas, partirentur, commodis regionibus ciuitatem diſtinguerent, legibus magiſtratibusque ſiſterent, & ad ſpeciem optimi gubernaculi Rempub. effingerent. Sed de hoc mediocriter mihi iam dixiſſe videor: iam hinc de prætoria poteſtate videamus.

De Prætoribus. CAP. XIX.

CVM crebris ac diuturnis certaminibus victi tandẽ à plebe patres, ex conſulibus alterum ex plebe creandũ con

ceſſiſſent,id ſibi voluntate plebis,pro aperto ad conſulatum aditu, arrogauere, vt vnicus magiſtratus crearetur, ex patribus: isque à præeſſendo prætor appellaretur: qui tandem eò, quòd inter vrbanos ius diceret, vrbanus appellatus eſt. Penes hunc verò magiſtratum,omnis adeò publici,priuatique iuris poteſtas fuit,vt nouum ius condere,& veteri abrogare,facultas eſſet.

Tantum verò in modum aucta eſt prætoris auctoritas,vt quod prætor ipſe edixiſſet, ob ipſius honorem,ius honorarium vocaretur. Prætori regia inſignia, conſularesque fermè apparatus, lictores verò non amplius ſex, ſella curulis, & trabea, cæteraque huiuſcemodi tradita ſunt.

Ac quamuis,ſex numero lictoribus vti, conceſſum prætoribus eſſet. Paulo quidem Æmylio prætori in Iberiam contendenti (vt ait Plutarchus[1]) duodecim adhibitos lictores comperi. Equis albis & trabea candida vtebatur prætor. Niuei ad frena Quirites ſubminiſtrabant, vt ait Iuuenalis[2]. Demùm,cùm vndique peregrinorum multitudo in vrbem cõflueret,neque vnus prætor turbæ cauſarum ſatisfacere poſſet, alter prætor creatus eſt, qui quoniam inter peregrinos cognoſcebat, peregrinus appellatus eſt.

Creſcente verò imperio, tantum in modũ prætorum amplificatus eſt numerus, vt decem & octo aliquando in vrbe ius dicerent. Capta enim Sardinia,mox Sicilia, item Hiſpania,deinde Narbonenſi prouincia, totidem prætores, quot prouinciæ in ditionem venerant, creati ſunt,

[1] In vita Aemylij.

[2] Sat.x.

Manuſcrip. cod, quot magnæ vrbes.

ſunt,partim qui vrbanis rebus,partim qui prouincialibus præeſſent. Deinde Cornelius Sylla, quæſtiones publicas conſtituit: veluti de falſo, de parricidio, de ſicarijs, ac prætores quatuor adiecit. Alios C. Iulius Cæſar: Alios diuus Auguſtus, alios etiam Diuus Claudius, ac Diuus Nerua prætores creauere. Quibus cùm plurimum ingruentium bellorum vſus exegiſſet, eorundem adminiſtrationes mandari conſueuere: Qui verò eorum in vrbe remanſiſſet, Præfectus vrbi appellari cœptus eſt: cuius immutata conſtitutio eſt, vt pręfectus vrbi Latinarum duntaxat feriarum cauſa, quotannis, vacantibus cæteris magiſtratibus, creari inſtituerit. Iis, de prętorum deſcriptione contenti: de Quinqueuiris menſarijs videamus.

De Quinqueuiris Menſarijs. CAP. XX.

CVM improbitate fœneratorum, plebs Rom. magnitudine ęris alieni penè obruta eſſe videretur, eiq́ue difficultati principes plebis ſuccurrendũ ſæpenumerò tentaſſent, inclinatis tandem ad concordiam omnium animis, qui tum conſules erant, fœnebrẽ quoque rem, quod deſtinari in animis hominũ videbatur, leuari aggreſſi, ſolutionem æris alieni in publicam curam verterunt. Quinque ergo viri creati ſunt, quos à diſpenſatione pecuniæ menſarios appellarunt, qui inſigni æquitate, diligentiaq́ue meriti ſunt, vt per omnium annalium monumenta celebres nominibus eſ-

ſent: hi ergo fuerunt: C. Duellius, P. Decius Mus, M. Papyrius, Quintus Publilius, T. Æmylius: qui rem porrò difficillimam tractatu, plerunque parti vtrique ſemper certè alteri graue, cum alia moderatione, tum impendio magis publico, quàm iactura, ſuſtinuerunt. Tarda enim nomina, & impeditiora, quàm facultatibus, aut ærarium menſis ſuppeterent, ære in foro poſito diſſoluerunt: vt non modò ſine iniuria, ſed etiam ſine querimonia partis vtriusque, exhauſta vis ingens æris alieni ſit. Sed de quinque viris menſarijs hæc ipſa occurrere, quæ dicerem: Nunc de Duumuiris claſſis reficiendæ, de Tribunis militaribus, ac Triumuiris nocturnis, pauca videamus.

De Duumuiris Claßi reficiendæ, Tribunis militaribus, ac Triumuiris nocturnis. CAP. XXI.

Dvumuiros claſſi reficiendæ, vtpote, haud magni momenti Magiſtratum, omiſſurus videbar: niſi (quod Liuio[1] prætereundũ minimè viſum eſt) id ſatis, quòd cæteras inter poteſtates recenſeretur, dignum eſſe apparuiſſet: & cum hoc vno reliquos duos magiſtratus, qui tempore concurrerent, ac per ſe longè breuiſſimam deſcriptionem requirerent, aſſcribendos exiſtimaſſet. Eò etiam motus ſum, quòd, hoc demum anno, Magiſtratus id genus, in noſtram Rempub. immigrauit. Anno enim, quo App. Claudius: is, cui poſteà cæco cognomentum fuit, cenſuram geſſit, M. Valerio,

[1] Lib. ix.

rio, & P. Decio coſs., duo imperia, vt ait Liuius[2], dari per populum cœpta ſunt, vtraque ad rem militarem pertinentia: vnum vt tribuni militum: ſeni denique quatuor, legionibus crearentur, quæ anteà perquàm paucis populi ſuffragio relictis, conſulum & dictatorum fuerant beneficia. Tulere eam rogationem tribuni plebei, L. Atilius, & C. Martius. Alterum imperiũ fuit, vt duumuiros nauales claſſis ornandæ, reficiendæque cauſa idem populus iuberet. Tulit hoc plebiſcitum, M. Decius tribunus plebis. Haud multo tempore poſt huiuſmodi rogationes, triumuiri nocturni creati ſunt, quibus (vt exiſtimatione deducor) difficili bellorum & ciuilium ſeditionum tempore, vigiliæ in muris, cuſtodiæque per milites ſtationarios, mandarentur. Id etiam eorum curæ, iniunctum eſt, vt & nocturnas ſeditiones à ciuibus arcerẽt, & quies vrbi conſeruaretur. Huius ſanè partes magiſtratus, in officium pręfecti vigilum demum traductæ ſunt. Enimuerò quoniam horum magiſtratuum nomina, rem ferme ipſam, cui addicti eſſent, facilè oſtendunt, neque Liuius ipſe auctor rei, hac in re amplius verborum facit, apud alios verò nulla prorſus mentio eſt, ne mihi quidem pluribus commentandum eſſe viſum eſt. Ergo ad Triumuiros Reip. conſtituendæ deſcribendos, veniamus.

[2] Lib. ix.

De Triumuiris Reip. conſtituendæ.
CAP. XXII.

SI Triumuiratus Reipub. conſtituendæ originē quæris: ante eum ipſum, quem Cæſar Auguſtus cum Antonio & M. Lepido geſſit, alter nullus apud Romanos prodijſſe, memoratur. Ego autem de eo ipſo, nuſquam præterea offendiſſe memini: vtrum poteſtatibus an numerandum cenſuerim, haud ſatis ſcio. Quippe, quòd eas poteſtates, quas iniuſſu, prætérquàm ſenatus auctoritatem, quiſque non dicā ſortitus fuerit, ſed per libidinem dominandi arripuerit, tyrānides potius, quàm poteſtates, ſeu magiſtratus appellandos duxerim. Vtcunque ſe res habeat: illud facilè animaduerti poteſt, Iulio Cæſare in ſenatu, ab ijs, qui cum Bruto, & Caſſio conſpirauerant, occiſo: mox Antoniū, cùm ſtudia omnia ad componendam Rempub. contuliſſe videretur, principem ciuitatis euaſiſſe. Confeſtim verò dominandi libidine pellectum, Ciceronem, Brutum, cæterosque, qui factioni eius aduerſabantur, vrbe excedere coëgiſſe. L. autem Octauio, qui teſtamento Cæſaris hæres ſcriptus fuerat, ex Aſia reuerſo: Cicero, ac cæteri qui factioni eius obtrectabantur, ad Octauiani potentiam confugerunt. Ex quo factum eſt, vt Antonius vrbe migrare adactus, hoſtis à ſenatu iudicaretur: ad quem opprimendum Hircius, & Panſa conſules miſſi, Auguſtusque cum faſcibus Antonium apud Mutinā adepti, fuderunt, fugaruntque. Deſperatis ergo

rebus, Antonius ſupplex ad M.Lepidum confugit, cuius potentia fretus, Octauianum, qui æquè animum ad dominationem intenderet, ad fœdus, ſocietatemque pellexit: illam videlicet ſocietatem, qua homicidæ homicidijs in permutationem veniſſe dicuntur. Inter quos ad cædem deſtinatos, Cæſar Ciceronē pro L. Cæſare auunculo M. Antonij, eidem conceſſit. Igitur, tyrannidem prætextu pio magiſtratus palliare pergētes, ſeſe Triumuiros Reipub. conſtituendæ, appellauere: quorum nutui, & auſpicijs omnis Reſpub. niteretur. Cæterùm eorum animos, quorſum inclinarent, mox ipſe euentus rerum oſtendit, omnes res ſimul diuinas humanasque commiſcens. Omnibus enim intra ſe opibus conſumptis: ad extremum vnus Cæſar Octauianus, rerum potitus eſt, qui & ipſe omnibus cæteris ſuperſtes, ipſum de quo loquor, Triumuiratum, annos circiter decem, vt Suetonius Tranquillus [1] refert, obtinuit. Hæc de Triumuiris: de Præfecto prætorio ſequitur.

[1] In Auguſto cap. xxvij.

De Præfecto prætorio. CAP. XXIII.

QVales apud reges Tribuni Celerum, ſiue apud dictatores Magiſtri equitum, tales demum fuere Præfecti prætorio, apud Cæſares. Nam cùm ſecundas poſt Cæſarem partes geſtarent, præeſſentque diſciplinæ publicæ emendandæ: adeò à paruis orta principijs creuit auctoritas, vt cùm aliquo tempore à Præfectis prætorio prouocare lice-

liceret,extarentque exempla maiorum,quo pacto ab ijs prouocaſſent: lecta poſtmodum principis ſententia, à Præfecto prætorio prouocatio ſublata eſt. Credidit enim princeps,eos,qui ob ſingularem induſtriam, fide illorum, atque integritate explorata, ad huius poteſtatis amplitudinem adhiberentur,non aliter pro ſapientia ac ſplendore dignitatis ſuæ, quàm eundem ipſum fore iudicaturos. Alio etiam priuilegio huiuſmodi poteſtas ſubnixa eſt, ne ab eorum ſententijs minores ætate, per alios magiſtratus reſtitui poſſent. His ergo de Præfecto prætorio collectis: de plerisque minorum magiſtratuum ſpeciebus,pauca videamus.

De quibuſdam Minorum magiſtratuum ſpeciebus.

CAP. XXIIII.

ALteram Magiſtratus ſpeciem in vrbe Roma, ius aliquando dixiſſe,repperi. Nam cùm bellorum munera cæteris magiſtratibus non ſufficientibus, ad prætores deferrentur, quorum munus adminiſtratio iuris præcipuum fuit, creati decem viri ſunt, qui ius in vrbe redderent, prætorumque partes eo tempore gererent, litium iudicandarum appellati.Eodem tempore,quatuor viri creati dicuntur,qui viarum curam agerent.Ac tres viri monitales auri, argentique flatores, quorum eſſet diligentiæ,numiſmata, auro argentoque fabricari. His dictis : iam de Præfecto Vigilum pauca diſpiciamus.

De

De Præfecto Vigilum. CAP. XXV.

DIuus Auguſtus ſalutem publicam, nullius alterius, quàm ſuæ diligentiæ congruere, exiſtimans, coercendorum incendiorum gratia, ſeptem cohortes opportunis vrbis locis diſpoſuit: ita, vt binas vrbis regiones, vnaquæque cohors præſidio tutaretur, tribunis & ſuper omnes clariſſimo viro præfecto vigilum, præpoſitis. Et licet, apud veteres Romanos triumuiris nocturnis, ædilibus, tribuniſque id negocij quandoque eſſet aſſignatum, pluribus eodem die exortis incendijs, quibus accurrere, ſatiſque facere non poſſe eos appareret, creare præfectum vigilum Aug. Cæſar in animum induxit. De incenſoribus ergo, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribuſque apud Præfectum vigilum cognitio eſt: niſi, ſi qua tam atrox, tamque famoſa perſona ſit, vt ad Præfectum vrbi remittenda videatur. Et quoniam incendia plerunque culpa exoriuntur inhabitantium: aut fuſtibus caſtigat eos, qui negligentiùs ignem habuerunt, aut ſeuera obiurgatione comminatur, fuſtium caſtigationem remittit. Cùm effracturæ in horreis (vt plerunque fit) in inſuliſque, vbi precioſiorem fortunarum ſuarum partem patreſfamiliarũ ſeruant, apparuerint. Si quando vel cella, vel armarium effringitur, effractorum ſæpè, nonnunquam etiam cuſtodum quæſtiones, apud hunc Magiſtratum exercentur. Et ita diuus Antoninus[r] Erutio claro præfecto reſcripſit. Ait enim, ef-

[r] L iij. d. e.

fractis

fractis horreis, de ea re quæſtionem ad illum ipſum pertinere. Sciendum autem, præfectum vigilum, ad plurimam noctem vigilare oportere, coerrareq́ue calciatum cum hamis & dolabris, curamq́ue in omnes inquilinos admonendi agere: ne per colonorum negligentiam, incendiorum caſus exoriatur. Quinetiam, vti inquilinus quiſque aquam, in cœnaculo habeat: qua igneo terrore ingruente, præſtò occurrere poſſe cenſeatur. Aduerſus capſarios autem, qui mercede ſeruanda in balneis veſtimenta ſuſcipiunt, iudex quoque conſtitutus eſt: vt ſi quid in ſeruandis veſtimentis admiſſum fuerit, ipſe idem de quo loquor, magiſtratus quæſtionem exercebit. Sed de Præfecto vigilum ſatis. Reliquum eſt, vt de Procuratore Cæſaris, is enim eſt inter Cæſarē & Rempub. priuatamq́ue conſtitutus iudex, pauca videamus.

De Procuratore Cæſaris. CAP. XXVI.

QVanquam principalem celſitudinem, à qua legum, ſenatuſconſultorum, magiſtratuumq́ue omnium origo manat, moribus introductū ſit, legum imperio, cui præeſt, non eſſe ſuppoſitam: humani tamen animi freta modeſtia, legum teneri vinculis haudquaquam reformidat. Cæterùm, quoniam maiorem ſe, à quo ius eum inter priuatumq́ue ac Rempub. decernatur, impoſſibile inuentu ſit, ipſumq́ue principem in propria cauſa iudicare, haud ſanè æquum eſſe videatur: magiſtra-

giſtratum creari placuit,cui inter ſe priuataſque perſonas competens quidem eſſet iuriſdictio, qui ſanè eſt appellatus procurator Cæſaris. Huic magiſtratui principalis totius rei familiaris licentia commiſſa eſt: ita, vt quicquid ab eo negociorum imperialium geſtum eſt, perinde habeatur ratum,ac ſi ab ipſo Cæſare fuiſſet pertractatum. Sed ſi rem eius quaſi propriam procurator tradat, non putant dominium transferre. Tunc verò transfert,cùm negocium gerens Cæſaris,ipſius conſenſu tradit. Denique,ſi donationis, venditionis, tranſactionis cauſa quid agat, nihil agit. Non enim alienare rem Cæſaris, ſed diligenter negocia obire, procuratori Cæſaris iniunctum eſt. Id verò imprimis procuratori huic, de quo agimus, adſcriptum eſt, quod ſeruum Cæſaris hæredem inſtitutum,adire hæreditatem iubet, & ea hæreditas imperatori acquiritur. Quin,ſi Cæſar ipſe hæres inſtituatur,ſi ſe procurator opulentę hæreditati miſceat, hæredem Cæſarem facit. Quod ſi ea bona, ex quibus princeps inſtitutus eſt, ſoluendo non ſint,conſulendum erit Imperatori:ne quid proinde detrimenti patiatur.Hæredis enim inſtituti, in adeundis repudiandisque hæreditatibus,congruo tempore explorari voluntas debuit. Deportandi facultas, huic magiſtratui permiſſa non eſt. Sed de procuratore Cæſaris, deque cæteris omnibus Rom.poteſtatibus,quę hinc inde (trita ſparſaque, ſcriptores varios legens,venari potui) hoc loco dixiſſe ſufficiat.

Quæ

Quæ ſanè non ea mente dicta eſſe credi velim, vt fixa, & immutabili quadam neceſſitate ſtatuta: perinde, atque centuriatis perlata comitijs, cenſeri velim. Pluraque atque meliora, ab eruditioribus diligentioribusque dici poſſe, negem. De iure autem ſacerdotiûm, ac magiſtratuum, ſi quis latiùs ſibi patere velit, apud Ciceronem in ijs libris, qui ſunt inſcripti de legibus, facilè competere poterit. In obſeruatione autem rerum ac temporum, ſi quis me in hac quantulacunque librorum paucitate coniectantem, examuſſim ſingula, lapſumque aliqua in parte arguatur, afferenti equidem idoneos teſtes, probabileſque rationes ingenuè concedam. Cæterùm, animaduertendum cuique eſt, ne mihi inferiores Diuo Auguſto magiſtratus obijciat, quos vt mores, legeſq; ac cætera quæque inſtituta, varios mutabileſque eſſe conſtat. Ego de ijs potiſſimum ſcripſi, qui ab exordio conditæ vrbis, in tempora vſque Auguſti Cæſaris intra annum fermè ſeptingenteſimum, creati ſunt. Vtcunque ſe res habitura eſt, & ſi quis longè quidem meliora in hoc genere adducat: non propterea me pigebit, paucis hæc admodum & cõtractioribus vigilijs, lucubraſſe.

STV-

STVDIOSO LECTORI, EGID. VVIITS. I. C. S

STatueram hic, amice Lector, (*Andrea Dominico* iam à capite ad calcem perpurgato) errorum quendam ſyllabum contexere: & qua quæque & ſublata, & repoſita eſſent ſerie, tabella ob oculos ponere, vti enim Philoſophus ait: oppoſita iuxta ſe poſita, magis illuceſcunt. Sed & illud quoque deſtinaram, multiplices & varias multorum lectiones, & coniecturas annotare, vt tantiſper intra vterum parentis ſuæ, commentariorũ libri noſtri ſeu implumes adhuc fouentur, candidi lectores (iudicijs ſingulorum viſis) ſummariè ſaltem, & de plano cognoſcere poſſent, rediſſe nobis vbique in artus luxatam lectionem, & nihil eſſe, quàm mera ſomnia, & importuna mendacia, quæ profligata & ſublata ſcriptura vetere, corruptores (ne dicam correctores) temerario auſu pro vero hactenus affinxere: quippe deſtituti antiquis, & manu ſcriptis codicibus: quod Bredebachius ipſe minimè diſſimulauit. At paranti mihi eas tabellas, quod viderentur in eam amplitudinem abituræ, vt iuſti libelli faciem forent expleturæ, conſilio amicorum, Laurini, Ræ-

Lib. 2. de cælo & mund. & 1. elench.

nardi, & Colonienſis (quibus cum mutuis ex lectione relationibus ſubçiſiuas aliquando horas legitimis, et ordinarijs officijs perfuncti, exigimus) manum cum Cicero. tabula moui: quin enim potius commentariorum editionem maturarem, mouebant, ſcilicet, vt ex ipſo fonte, id eſt, ex commentarijs ipſis, ſtudioſi quæ vellent, peterent: aliud enim eſſe propinare, aliud omnem ſeriam relinere, & aliud rectam, aliud ſportulam dare. Hoc autem cùm peruiciſſent, ac iam extorſiſſent: ne longiori incubatus fœtura ſtudioſos in expectatione commentariorum macerarem (ecquis enim queat eſſe tam ſeuerè parcus) vt dites ſatis pro terrarum ingenijs (abſit inuidia verbo) ſegetes obnixè poſtulantibus, non elargiatur? vti hic quoque Ioannis Camertis viri antiquæ lectionis ſtudioſiſsimi concordantias (quas vocant) hiſtoriarum adprimendas curarem, perſuaſere: quippe quibus veluti digito auctores indicat, ex quibus Andreas noſter omnia ſua ſumpſit: quod etſi non probarem, nec videretur mihi operæpretiũ, quod in commentarijs noſtris, cum alijs plerisque eius notæ in nomenculationem non modò veniant, ſed liberaliter ſymbolum dent: ne quis tamen, debita eum à nobis fraudatim gratia cauillaretur (id enim Valentinus quoque Curio iam dudum proteſtatus eſt) vt in eam ſententiam tranſirem, fecit.

Sint

Sint itaque per me, ea, quæ diligens alioqui in hoc ſcripti genere vir, methodi, aut veriùs concordantiæ (quod aiunt) vice, ad Andream noſtrum collegit, eo ipſo adhuc quo hactenus fuere loco.

IOANNIS CAMERTIS CONCORDANTIÆ.

In Lib. I. Cap. I.

SVMPTA *omnia ex ſecundo Faſtorum Ouidij. ibi. Tertia poſt. Iuſtinus lib. 43. Liuius lib. 1. Plutarchus problema. 67. Val. Max. ti. primo. 2. cap. 18. Plura Tortel. in dictione lycæum.*

In Cap. II.

Diony. Halicar. lib. 1. Virg. 8. Aenei. verſu 201. Ouid. 1. Faſt. ibi. Ecce boues. Iuſti. lib. 43. Diodo. Siculus lib. 5. Liuius lib. 1. Val. Max. in 1. cap. 2. Plinius iunior cap. 34. Varro lib 1. de lingua latina.

In Cap. III.

Ex Aulo Gell. cap. 7. 6. Macrobius 1. Satur. Plutarchus proble. 33. Lactantius cap. 20. primi. Varro lib. 1. de lingua latina. Plin. cap. 2. 18. hiſtoriæ naturalis. Eius feſta, quæ floralia dicuntur. 6. Nonas Maij celebrantur, vt 5. Faſtorum ſcribit Ouidius.

In Cap. IIII.

Ex Cice. 1. de Diuin. Diony. lib. 2. Liuio lib. 1. Ouid. circa fin. 4. Faſt. Huc faciunt quæ ſcribit Stat. 3. Theb. ibi: Difficiles populi. Plutarchus problema. 71. 72. 77. 93. 99. Valer. Max. in principio ſecundi.

In Cap. V.

Sumpta ex Gellio omnia cap. 15. lib. 10. Plutarc. proble. 42. & 48. Diony. lib. 2. Liuius lib. 1. plura de his. Varro lib. primo de lingua latina.

In Cap. VI.

Diony. lib. 2. Gellius cap. 12. primi. Plura Ouid. 6. Faſtor. ibi: Veſta faue. Lucret. 2. de rerum natura, verſu 603. Quare magna, &c. Aug. cap. 19. 4. ciuit. Serui. 11. Aen. ibi: Finitimos, &c. docet vbi viuæ ſepeliebantur. Plutarch. proble. 96. ponit huius conſuetudinis cauſam.

In Cap. VII.

Sumpta ex 2. Diony. & primo Liuij. Seruio 8. Aene. Ouidio 3. Faſt. ibi: Quis niſi. lege Acronem. 36. & 37. primi Carmi. Plura Plutarchus in vita Numæ. Valer. titulo primo, primi. cap. 2.

In Cap. VIII.

Vltra ea quæ ſcribit Liuius in primo, & Diony. in ſecundo, lege apud Plutarchum in vita Numæ.

In Cap. IX.

Ex Plutarchi proble. 62. Gell. cap. 4. 16. Diony. lib. 2. Ser. 9. Aene. ibi: Principium. Li. ferè ad verbum ſcribit hæc omnia.

In Cap. X.

Hæc & plura ſcribit Liuius lib. 1. Ser. circa princip. 9. Aene. ſcribit patrem patratum fuiſſe principẽ fœcialium. Lege Gellium cap. 4. lib. 16. Plutarchum proble. 62.

In Cap. XI.

Ex Liuio in principio ſecundi. Plura Dio. in principio 5.

In

In Cap. XII.

Sumpta ex Liuio lib.9.3.Decadis.Syllius in principio 17.plura Ouid. 4. Faſt. multa ad hoc facientia ſcripſi in annotationibus Solini cap.7. De cauſa ſacerdotij Spado. Lege Naſonem.4.Faſt. ibi: Phryx puer. Aug.cap.25.7.Ciuit.Dei.plura notaui in comment. Claudiani ſecundo in Eutrop.ibi: Labentem patriam.

In Cap. XIII.

Duumuiri ſacrorum à Tarquinio Superbo creati ſunt, vt lib.4.Dion.Gell. autem cap.19.primi, ait ad libros 3. Sibyllinos, quaſi ad oraculum quindecimuiri adeunt, cùm dij immortales publicè conſulendi ſunt. de dedicatione ædis Caſt.à Poſthum.lege, quæ ſcribunt Ant.& Marſus in fin.1.Faſt.

In Cap. XIIII.

Cicero. 3. de Oratore, dicit tres viros Epulones à veteribus pontificibus inſtitutos propter ſacrificiorum multitudinem, de horum epulis ſcribit Val. in principio 2.& Auguſt. 3. de Ciuit. vide ſint ne vera, quæ Sympontinus de his aſſeruit.

In Lib. II. Cap. I.

Ex DION. *lib.2. Liuio lib. 1. De ſenatoribus extat tit.9. primi digeſtorum: plura Plutarchus in vita Romuli.*

In Cap. II.

Dion.lib.2. Liuius lib. 1. Plutarchus in vita Romuli. Quidam exiſtimant Luceres à Lucomone deo denominatas. Feſtus autem Pompeius à Luceo Ardeæ Rege, quod auxilio fuit Romulo aduerſus Tatium bellanti.

In Cap. III.

Quare autem creati fuerint, docet Pomp. tit. 2. 1. digeſt. ponit autem quæſtorum genera 2. primum eorum qui pecuniæ 2. eorum qui capitalibus rebus præeſſent, eorum officium narrat Vlpianus tit. 13. 1. digeſt. lege Varr. 1. de lingua latina.

In Cap. IIII.

Ex Dion. lib. 2. & Liuio lib. 1. Plutarchus in vita Numæ.

In Cap. V.

Liuius lib. 1. Dion. autem lib. 3. dicit cognitionem ſororicidæ permiſſam populo. Pomp. tit. 2. primi digeſt. Conſtituti ſunt, inquit, & triumuiri capitales, qui carceris cuſtodiam haberent, vt cùm animaduerti oporteret, interuentu eorum fieret. Varro etiam meminit primo de lingua latina.

In Cap. VI.

Quæ ſcribuntur hoc titulo, habentur ferè omnia ab Vlpiano tit. 12. primi digeſt. Gellius cap. vltimo lib. 14.

In Cap. VII.

Sumpta ex fine primi Liuij ex 4. Dion. Pomp. tit. 2. primi digeſt. de offi. conſulis habetur tit. 10. primi digeſt. Aug. cap. 16. tertij, de ciuit. primi conſules Calend. Ian. creati ſunt. Inde factum eſt, vt Ianuarius primus menſis anni à Ro. haberetur. Plutarchus proble. 18.

In Cap. VIII.

Sumpta ex 2. Liuij ferè omnia. plura notatu digna, ſcribit Diony. circa finem 5. Id autem anno 9. poſt reges exactos, factum eſſe ſcribunt Eutro. cap. 2. primi,

&

& Euſeb.lib.temporum . legem de prouocatione habes à Liuio libro 3.Pomp.tit.2.1.digeſt.

In Cap. IX.

Sumpta ex 2.Liu.& 5. Dion.circa finem Eutrop. & Euſeb.vbi ſupra.De hoc magiſtratu tit.2.& 11. primi digeſt.

In Cap. X.

Liuius omnia lib . 2 . Diony . verſùs finem lib. 6. Aug.cap.18.2.Ouid.3.Faſt.ibi: Plebs vetus. Sacer autem mons ideo dictus eſt (auctore Feſto) quoniam Ioui ſacer erat.

In Cap. XI.

Liuius in princip.3. Dion. in fine 11. aliter ſentire videtur. Hæc, & plura habentur 1. digeſtorum. tit. 16.per totum.

In Cap. XII.

Hæc,& plura de legatis proconſulum habentur tit. 16.primi digeſtorum per totum.

In Cap. XIII.

Ex principio 7.Liuij.Dion.lib.6.Gell.cap.21.lib. 17.Plura congeſsit Blondus lib.3. de Rom.triumph. Pomp. tit. 2. primi digeſtorum . Varro lib.1. de lingua latina.

In Cap. XIIII.

Sumpta omnia ex 3.Liuij. Diony. versùs fin. 10. & lib.11.per totam hanc hiſtoriam proſequitur. Val. lib.6.cap.1.Plura notaui circa finem primi Flori. Id autem factum eſt Anno 301.ab vrbe condita, vt cap. vndecimo primi docet Eutropius . Euſebius lib. temporum dicit Anno 302.

In Cap. X V.

Pomp tit. 2. primi digeſtorum. Aug. cap. 17. 3. ciuit. de conſulatu App. Claud. & P. Ser. ac de morte Tarquinij apud Ariſtodemum, Cumis videlicet, ſcribit Liuius inter principium & medium: 2. Item Dion. lib. 7. de contentione conſulum ob dedicationem ædis Mercurij ſcribit Val. Max. cap. 3. lib. 9.

In Cap. X V I.

Ex Liuio lib. 4. tit. 2. primi digeſtorum. Id autem factum eſt anno 310. ab. V. C.

In Cap. X V I I.

Sumpta ex lib. 4. Liuij. Pomp. iuriſconſulti. tit. 2. primi digeſtorum. lege Aulum Gellium cap. vltimo. 7. Cenſorum leges plurimas ponit Cic. in principio 3. de legibus. Multa Flauius 3. de Rom. triumph. congerit.

In Cap. X V I I I.

Liuius lib. 3. primæ decadis, in fine, hæc, & plura ſcribit.

In Cap. X I X.

Sumpta ex Pomp. iuriſconſ. digeſtis de origine iuris. L. Neceſſarium. Liuius in fine ſexti plura. Flauius lib. 2. de Rom. triumph.

In Cap. X X.

Habentur hæc omnia ex 7. T. Liuij. Flauius lib. 5. de Rom. Triumph.

In Cap. X X I.

Suetonius tit. 27. ſecundi. Plutarchus in vita Ciceronis. Liuius 120. lib. Florus cap. 7. quarti. de Triumuiratu Reipub. conſtruendæ, meminit Varro in lib. quem Iſagogicon inſcripſit. Vide Gell. cap. 7. 14.

Fuit

Fuit ergo ante Cæſarem Auguſtum hic Magiſtratus apud Rom. habitus.

In Cap. XXII.

Hæc, & plura 1. digeſtorum de officio Præfecti Prætorio. lege Vnica. Verba ſunt Aureliani Iuriſconſulti.

In Cap. XXIII.

Lege Aulum Gellium lib. 13. cap. 14. & 15. ff. de origine iur. L. ij. parag. Deinde. &c. habentur hæc omnia.

In Cap. XXIIII.

Sumpta ex primo digeſtorum de officio Præfecti Vigilum per totum.

In Cap. XXV.

Plura Flauius lib. 4. de Rom. triumphante.

In Cap. XXVI.

Sumpta ferè omnia ex titulo 19. primi digeſt. ab Vlpiano, Paulo, Calliſtrato.

FINIS.

POMPONII LÆTI DE MAGISTRATIB. ET SACERD. ROM. ad M. Panthagatum, LIB. II.

STVD. LECTORI EGIDIVS WIITS. I. C. S. D.

VT deſiderio veſtro, candidi Lectores, faciam ſatis, eximamque animis veſtris omnem ſcrupulum, ſi quis fortè iſthic adhuc reſidet, (eſt enim mirabilis quorundam in fouendis erroribus pertinacia) Pom. Læti ad M. Panthagatum eiuſmodi argumenti libellos, (quos defeciſſe quoque iamdudum ab archetypo intellexeram) diligenter, & accuratè à me correctos, & emendatos accipite. Collatis vtriuſque, & Andreæ, & Pomponij libellis diſpicite, quàm non ſit verum, quod Parrhaſius, & Alciatus ſunt ſuſpicati: nam vt mittam, quæ pridem ſumus perſecuti, refragatur illorum opinioni (licet Vaccam, & Pellitarium habeat coryphæos) Pomponij dicendi character, & lima: ad hæc diſpoſitio, & iudicium frequenter pugnat cum Florentino Calaber. Huius ſemper caſtiſſima, & ſimplex

Locis in præfat. in And. Dom. allegatis.

plex eſt oratio,illius frequenter dura, & Græcæ linguæ, quàm vix attigerat Pomp. familiarior: Magiſtratibus ciuilibus Pomponius primum inter poteſtates locum fecit, Andreas à Sacerdotibus, tanquam à dignioribus (ſic enim loquitur) exorditur: Erat Chriſtianæ religionis contemptor, & Sacrorum demum Romanorum cultor Pomponius, Andreas autem veterum Romanorum paganiſmum, vbique ſuperſtitionem appellat, et Amiſtiis ſui Chriſti deuoti paternitatē celebrat. Habebat Pomponius omnia ſui ſeculi pro deſpicatis, vetuſtatis tantùm memoria, & aſpectu gaudens, ob id ſuis veterum nomina impoſuit, & pro Petro Calabro, ſe Iunium Pomp. Lætum appellauit. At Andreas tam exhauſtam atque effœtam eſſe naturam negat, vt non raro excellentiora priſcis ſeculis ingenia, fateatur ſuccreſcere. Quæ ſanè omnia non aliquo animi affectu à me dicta ſuſpicari velim: neque enim ingenium olim in recognoſcenda vetuſtate exercitatiſsimum exactiſsimumque traducere conſilium eſt: ſed eò dico, ne quis iudicio Parrhaſij, Alciati, Vaccæ, & Pellitarij fretus, pergat Andreæ mei lucubrationes ſuperiorum temporum fortuna deperditas, Pomponio aſſerere, & negare illius eſſe, cuius indagine certa, fœtum legitimum eſſe iampridem deprehendimus. Iiſdem autem libellis, quoniam

iuris

Sabell. in epiſt. ad Ant. Mauro.

Sabel vbi&c & Lud. Viues de verit. fide.lib.2. c. de vet. teſta. Gabr. Puterb. de tollend.max. lib. libro 1.

Sabell. Viues,Puterb. d.locis.Plat. in vita Paul. 2.& Ant. Garro d. l.2.

iuris candidatis non vtiles modò ſunt, ſed neceſſarij Raphaëlis Volaterrani, & Henrici Bebelij, eiuſdem argumenti libellos, hactenus deprauatiſſimos, nuncq́ue noſtra ſedulitate, & induſtria emendatos, iuſsimus appingi, atque vtinam Pauli Manutij, & Franciſci quoque Connani licuiſſet, proculdubio ſuperiorum temporum iniuriam multi æquiore ferrent animo, neglectam hanc dico hiſtoricam iuris cognitionem, quæ quidem à recentioribus quibuſdam cœpit excoli: ſed quæ in eandem ſententiam à Pyrrho, Aymaro, Garrone, Boërio, Chaſſeneo, Zazio, Lazio, Budeo, Oldendorpio, Onuphrio, Sigonio, Coraſio, & alijs plerisque ſunt conſcripta, quod frequenter in eandem ſententiam conſpirent vellicatim præcerpta, commentarijs noſtris illigabimus: ita enim varietas ipſa, iucundiorem præſtabit, ac ilicem magis (ſi Plautinè loqui non dedecet) noſtram racemationem. Valete.

Meminit eorum Sigoni. de Antiq iure ciui. Ro. lib. 1. cap. xx. & Fran. Cōna. commēt. iur. ciuil. lib.

Ex Brugis Fland. pridie Cal. Ian.
M. D. LX.

POMPONII LÆTI DE MAGISTRATIB. ROMANORVM.

LIB. I.

De Rege. CAP. I.

VRbis Romæ, & imperij Romani cõditor Romulus, Marte genitus fuit. Is poſtquam omnium conſenſu præfuit, legem tulit, vt nemo regnum aut magiſtratum iniret, niſi auctor fieret Deus, ipſéque per auſpicia confirmari voluit. Vocabulum à regendo deductum eſt. Multitudinem omnem Romulus diuiſit in partes tres, quas tribus appellauit, & ſingularum tribuum duces, tribunos nominauit: & ipſas tribus in triginta partes diuiſit, quas curias dixit, quoniam [1] earum cura Reſpublica ſententiam expediebat, & inde latæ ab regibus quædam leges, curiatæ denominatæ ſunt. Curiarum præfectos, curiones dixit, & curionum decuriones. L. Papyrius [2] qui fuit tempore Tarquinij Superbi, latas leges in volumina redegit. Vnde iuris ciuilis Paperiani nomen deducitur. Rex ſacrificijs, templis, & omni cultui deorum, & legibus, & moribus præerat, magnarum cauſarum iudex: minorum verò cauſarum ſenatum voluit eſſe ipſe Romulus iudicem.

[1] Quod tunc Reip. curam, per ſentẽtias earum partium, expediebat. Inijt Pomp. l. 2. ff. poſtea aucta de orig. iur.

[2] Pomp. modo Sext. modo Pub. Dioniſius nunc Ma. nunc C. j. L. verò Cic. & alij, vt Rutil. ſcribit. Coraſ. negat L. à quoquã vocari Rutil. in vitis Iuriſconſ. Cor. in L. 2. de orig. iur.

De

De Maieſtate Regis. CAP. II.

ROmulus (vt haberetur honor ac veneratio regiæ maieſtati) purpurea vſus eſt veſte: duodecim legit, qui ſuccinctis veſtibus expediti, multitudinem virgis coercerent. Eos à ligandis hominibus, vt Valgius Rufus meminit, lictores appellauit: vt ſit lictor, quaſi colligans: xij. & hi faſces ante Regem ferebant, ac totidem ſecures, quæ ſigna puniendi erant. Legit & regij corporis cuſtodes milites, quos à promptitudine, id eſt, celeritate, celeres appellauit, & eorum ducem Tribunum Celerum, cuius erat ſecundus poſt Regem locus. Valerius Antias ait, à primo eorum Duce, cui Celer nomen fuit, celeres nominatos: ij erant equites Romani, qui poſtea expugnato Troſſulo oppido Tuſcorum, vt Iunius ſcribit, Troſſuli dicti ſunt. Sella vſus eſt curuli, & locum eminentem in parte fori ædificauit, vbi iura daret.

De Senatoribus. CAP. III.

SEnatores à Romulo electi centum, aut à nobilitate generis, aut ab ætate, aut à ſapientia, vt apud Athenas nomen cepere. Iidem patres, & eorum familia patritia, ijdem multitudinis patroni: id eſt, defenſores erant. Hos appellabant peregrini, principes in ciuitate. Qui poſt hos centum ſenatui adſcripti fuere, patres conſcripti appellati ſunt. Quod verò ipſi conſtituerent, ratum erat, ſenatuſconſultum dixere, & tunc eſſe cœpit, cùm plebs diffi-

cul-

culter conueniret. Nam cùm à patribus per diſcordiam ſecederet, iura ſibi conſtituit, quæ plebiſcita vocantur.

De poteſtate Senatus & plebis.
CAP. IIII.

REX ad Senatum referebat. Senatus de omni re cognoſcebat, & ſuffragium ferebat, & quod viſum pluribus, fiebat. Populus Magiſtratum creabat, leges ſanciebat, & de bello decernebat.

De Interrege. CAP. V.

SPacium temporis à defuncto Rege, vſque ad creationem ſequentis, interregnum dicebatur: & qui præerat cum regia poteſtate, & inſignibus, interrex erat.

De Duumuiris. CAP. VI.

TVllus Hoſtilius rex, duumuiris poteſtatem fecit iudicandi de capite M. Horatij, qui ſolus ex trigeminis bello Albano remanſerat, & reus accerſitus, quòd extra portam Capenam obuiam ſororem interfecerat, quæ maritum ſuum vnum ex Curiatijs cæſum, lugendo, victoriam & libertatem populi Romani ægrè ferre videbatur, ſed abſolutus à populo fuit, propter patris lachrimas. Nam dixerat Tullus: Si prouocarit, prouocatione certaret. Et hæc fuit prima apud populũ prouocatio, & hoc primũ de rebus capitalibus iudiciũ.

De

De Præfecto Vrbis. CAP. VII.

ROmulus vnum elegit, quem vrbanis negotijs præfecit: vt Dioniſius ait, hūc Præfectum vrbis fuiſſe, ſatis conſtat. Longo poſt tempore, tantum ſibi vrbis præfectura vendicauit, Cæſarum temporibus, vt crimina omnium in vrbe cognoſceret: & demum cùm Cæſares ab vrbe obeſſent, Præfectus, velut alter Cæſar, imperabat: De rebus omnibus, quæ ad vrbem pertinebant, cenſebat.

De Præfecto Prætorio. CAP. VIII.

PRæfectus prætorio ſub Cæſaribus diſciplinæ militari præerat, eius poſtea auctoritas aucta erga forenſes cauſas, vbi imperium declinare cœpit, nomen mutauit, magiſter ſtabuli dictus, cùm anteà ſub Regibus Tribunus Celerum fuit, & ſub dictatore magiſter equitum.

De Præfecto Annonæ. CAP. IX.

DIcunt quidam, Annonæ præfecturam habuiſſe initium, quintodecimo anno poſt exactos Reges, Appio Claudio Sabino, & P. Seruilio Priſco conſſ. ſed veriùs conſtat, anno decimo octauo, T. Geganio, P. Minutio conſſ. quo tempore Annonæ maxima caritas fuit, miſſique in Siciliam fuere P. Valerius, & L. Geganius pro aduehendo frumento. Volunt alij L. Minutium fuiſſe primum Annonæ Præfectum: ſatisque conſtat, non niſi ex indigentia frumenti, hunc magiſtratum creari.

De

De Præfecto Vigilum. CAP. X.

CVM vrbis ædificia ſæpenumerò incendio flagrarent, diuus Auguſtus ſeptem cohortes, vt inuigilarent vrbi, diſpoſuit: & ſingulæ duas regiones cuſtodiebãt, tunc enim erant regiones quatuordecim. His ſeptem cohortibus præerat Præfectus Vigilum, apud quem cognitio erat omnium ſcelerum, quę nocturno tempore fieri ſolent, præſertim de incendio & latrocinio.

De Præfecto in militia. CAP. XI.

SIngulorum ordinum in militia aliquando Præfecti creati ſunt, hoc eſt, quod ſæpenumerò de præfectis alarum, & cohortium legimus: hoc, ſcilicet, erat voluntate ducis, id eſt, exercitus, Imperatoris, aut Regis.

De Præfecto Legionis. CAP. XII.

PRæfectus legionis, abſentis legati vicem tenebat: parebant ei, tribuni haſtati, pilani, centuriones, & denique totus exercitus. Arma, equi, veſtes, diſciplina, ius, annona, in ipſius cura erant, puniebat, ſoluebat. Eligebatur autem iuſtus, diligens, ſobrius, cui neceſſe erat, & alium titulum habere: ipſe etiam erat comes primi ordinis, quem primipilum dicunt, qui centum & ſexaginta militibus præeſt.

De Præfecto Caſtrorum. CAP. XIII.

CAſtrorum Præfecto curæ erat, caſtrorum poſitio, valli: foſſæ, tentoria, tabernacula, tormenta bellica, & cætera talia: item ægri, & medici. Is eligebatur peritiſſimus, vt alios edoceret.

De Præfecto Fabrorum CAP. XIIII.

ARtifices, qui ſequebantur caſtra: vt fabri lignarij, carpentarij, ferrarij, &c. qui ad fabrilia officia deputati erant, Præfecto Fabrorum parebant. Is eligebatur idoneus, & qui ſciret bene caſtris prouidere, & præſertim in expugnatione vrbium ſubterraneos cuniculos facere, & alia ſimilia.

De Conſulibus. CAP. XV.

PVlſis Regibus, auctore L. Iunio Bruto Tribuno Celerum, conſulare imperium factum eſt cum omni Regia poteſtate, et inſignibus. Conſules dicti duo à conſulendo, id eſt, prouidendo. Creati ſunt comitijs centuriatis à Præfecto vrbis[1], ex commentarijs Seruij Tull. & hi fuere L. Iunius Brutus, qui Tribunus Celerum erat, & L. Tarquinius Collatinus, anno ab vrbe condita CCXLIIII. Inde noui Conſules vrbem luſtrarunt, & primi iurarunt, neminem Romæ ſe paſſuros regnare: & idem fecit populus. Apud eos ſumma totius imperij erat: hi ſenatum, populumque per acceſos, & præcones cogebant: hi exercitus ducta-

[1] Ita Liuius. Dioniſius, ab Interrege habet.

ctabant. Ab eorum magiſtratu, numerus annorum ſignabatur, prouinciæ conſulibus deſcribebantur: penes quos, vt inquit Pomponius, ſummum ius vti eſſet, lege rogatum eſt: & ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vendicarent, lege cautum fuit, vt ab eis prouocatio eſſet, néue poſſent in caput ciuis Romani animaduertere, iniuſſu populi. Solum relictum eſt illis, vt coërcere poſſent, & in vincula publica duci iuberent.

De Dictatore, & Magiſtro equitum.

CAP. XVI.

ANno duodecimo, vt alij volunt, IX. poſt exactos Reges, T. Largio Flauio, T. Clœlio Sicelo Conſſ. vt alij ſcribunt, T. Lar. & L. Poſthumio Cominio: cùm XL.[1] Latinorum vrbes auctore Octauio Manilio[2] coniuraſſent in Romanos, T. Largius[3] à collega Clœlio, & à Senatu Pop. q; Rom. creatus dictator fuit. Dictatura ſummus Magiſtratus fuit, habebaturque in ſummo periculo vltimum remedium: duæ ſecures dictatorem pręcedebant. Ab eo ad populum prouocatio non erat, & ei capitis animaduerſio data eſt. Sex menſibus durabat, deſignabat ſibi dictator Magiſtrum equitum, qui primus fuit Sp. Caſſius[4].

[1] Quidã 30. alij 40. tertij 60. habẽt vt in adnot. meis, in And. hoc ca.
[2] Plinius Manilium. Liui. Manileum habet.
[3] Plinius A. Poſthumiũ mauult.
[4] Liui. Flo. Dioniſ. & Caſſiod. in T. Eubutiũ.

De Quæſtoribus. CAP. XVII.

ROmulus, vt Iunius[1] lib 7. ſcribit, ſuffragio populi, Quæſtores binos creauit, alij volunt Numam Pompilium.

[1] Gracchanũ intelligit in lib. de poteſtat. de quo fusè in adnot. meis in And.

Sed verius conſtat, de Tullo Hoſtilio. Quæſtores ab inquirenda, & ſeruanda publica pecunia dicti ſunt, capitalibus rebus præerant: ciues Romanos capite punire his licebat, prouincias ſortiebantur: primùm patritij creati, poſteà indifferenter patritij & plebei. Varro ſic dictos ait, quæſtores à quærendo, quòd conquirerent publicas pecunias, & maleficia, quæ Triumuiri capitales nunc conquirunt: &, vt Pædianus ait, Senatoris prima adminiſtratio erat, quæſtorem fieri, prouinciæ curam gerere, pecuniæ publicæ in diuerſos vſus erogandæ. Cornelius Tacitus[2] ait: Repetita lege curiata à Iunio Bruto poſt exactos Reges, quæſtores duos creatos, qui rem militarem comitarentur. Valerius Poſthumius & Æmylius Mamercus, duos deinde addidit, qui res vrbanas curarent. Mox cùm ſtipendiariæ prouinciæ fierent, duplicatus numerus. poſt verò Syllæ legem, creati viginti[3].

[2] Annal. li. xj

[3] Supplendo Senatui, vt Ant. Gouea. docet. de iuriſd. aduerſus Baro. lib. 3. in rub.

De Tribuno Plebis. CAP. XVIII.

ANno decimo ſeptimo poſt fugam Tarquiniorum, Aulo Virginio Cœlimontano, & T. Vetuſio Geminio Conſſ. plebis nexu grauata, & ſæpenumerò decepta, ſeditionem fecit: & tandem C. Sicinio duce in ſacrum montem ſeceſſit, qui diſtat ab vrbe tribus mil. paſſ. trans Anienem. Piſo auctor eſt, in Auentino ſeceſſioné plebis factam eſſe: & cùm illic plebs arma non ſumpſiſſet, Mons ſacer putatus eſt, vnde nomen monti impoſitum fuit.

Hinc

Hinc Poſthumio Cominio,& Sp. Caſſio nouis conſſ.decernentibus,decem legati eliguntur ad plebem,quorum primus fuit, Menenius Agrippa, qui oratione ſua plebem patribus conciliauit, menſe Septembri petiuit plebs ex ſuo corpore Magiſtratum creari. Tribunitia poteſtas hæc fuit: creati tribubus [1] fuere Tribuni quinque,L.Iunius Brutus,C. Sicinius,C. Licinius, P.Licinius,C.Icilius Ruga. Quidam duos ſcripſere,C.Licinium, & L. [2] Albinum. Hæc fuit Reipub. peſtis, hîc ciuile nefas ortum habuit, & quemadmodum propter ſeditionem eſſe cœpit, ſeditioſus magiſtratus, ſemper fuit conſulare ius imminutum. Conſulibus tribuni non parent,cùm cæteri Magiſtratus pareant. Sacroſanctos enim voluit ſuos tribunos vulgus:hi ſedebant primi ad limen, & acta ſenatus modò probabant,modò ſcindebant. Dies verò,quo Tribuni electi fuere, fuit quarto Idus Decembris: & in loco, vbi caſtra poſuerunt, erecta ara Ioui ſoluenti metum. Tribuni dicti ſunt, vt Pomponius ait,quod tunc in tres partes populus diuiſus erat: aut à tribuum ſuffragio, quæ (vt Dioniſius ait) tunc quatuor fuere. Legimus in Hiſtorijs Diodori, tribunos quatuor [3] creatos Cn. Siccium, L. Numitorium, M. Duellium,Sp. Icilium, Appio Claudio, & T. Quintio conſſ. Et pòſt, anno viceſimo quinto, tres Tribuni conſulari poteſtate creati,M. Genutio Agrippa, & Curtio Chilone conſſ. Tribuni fuere,A.Sempronius Atratinus,L. Atilius longus,

[1] Vt tribubus prçeeſſent, inquit Pomp. d. l. 2. § ijſdem temporibus.

[2] Non L. ſed P. habet Alex. Neapol. geneal. deor. leg. 5. cap. 2.

[3] Liuius quinque habet, addens L. Mecilium.

Meminit huius loci Criſpin. in Caſſ. Coſſ. In M. Genutio, & P. Curiatio.

4 Aliàs Ce-lius.

gus, T. Clœlius [4]: & poſt annos ſex, totidem Tribuni creati: eadem poteſtate Mamercus Æmilius, L. Iulius, L. Quinctius. Poſt quatuor annos quatuor creati, M. Fabius, Q. Sontius, Seruilius prætextatus, Cornelius Coſſus. Sequenti anno tres, M. Fabius, L. Sergius, M. Folius: & ſequenti anno, L. Furius, L. Pinarius, Sp. Poſthumius albus: & poſt annos ſeptem, quatuor, C. Furius, T. Quintius, M. Poſthumius, A. Cornelius Coſſus. Hos omnes Tribunos conſulari poteſtate fuiſſe conſtat [5].

5 Lætum imprudẽter hic comiſcere Tribunos cũ Cõſulari poteſtate notat Criſp. in Caſſio. Coſſ. anno ab vrbe cond. 297.

De Tribunis Militum. CAP. XIX.

ANno ferè ſeptuageſimo, poſt exactos Reges, ſequenti anno, poſtquam tribunitia poteſtas conſulari iure ceſſit, oratione Canulei, tres è patritijs creati Tribuni militares, conſentiente plebe, omnem conſularem auctoritatem habuere. Et ij fuere, L. Furius, T. Clœlius Corinthius, Au. Sempronius Atratinus. Sequenti anno quatuor, P. Lucretius, C. Seruilius, Menenius Agrip. Sp. Veturius: tertio anno quatuor, A. Sempronius, M. Papirius, Q. Fabius, Sp. Nautius: quarto anno duo, P. Cornelius, C. Fabius: quinto anno quatuor, L. Tubero, C. Cornel. C. Val. Cenſo. M. Fabius. Hi creabantur ex patribus, & ex plebe. Sexto anno ius imperij Romani ad conſules redijt, qui fuere M. Cornelius, L. Furius. Officium autem Tribunorum militum, vt Martianus [1] de re militari ſcribit, erat, in caſtris milites

1 C. Officiũ § fina. ff. de re milit.

tes continere, & ad exercitationem producere, vigilias circuire, rei frumentariæ præeſſe, querelas commilitonum audire, valetudinarios inſpicere: quoniam is, qui tali officio præeſt, & dare, & obſeruare caſtrenſia omnia debet. Pedianus ait: Tribunorum militarium duo genera eſſe, primum eorum, qui Rufuli dicuntur, & in exercitu creari ſolent. Alij ſunt comitiati, qui comitijs deſignantur.

De Aedilibus. CAP. XX.

PLebs, vbi è ſacro monte ad vrbem redit, à patribus impetrauit, vt liceret ſibi alios Magiſtratus creare, qui Tribunorum miniſtri eſſent, qui & ædes ſacras, & priuatas procurarent, & qui annonæ præeſſent. Creauit igitur ædiles quatuor, duos qui ab ſolio eburneo curules dicti ſunt, regijs vtebantur inſignibus, & ornati purpura, curam ſacrificiorum, & ludorum habebant. Scio & à quibuſdam ſcriptum eſſe, ædiles duos ex patritijs creatos curules, eo tempore, quo primus ex plebe conſul factus eſt. Sed credibilius eſt, vt ijdem intelligantur ædiles. Meminit Dioniſius libro ſexto, & alios duos creauit plebs Præpoſitos annonæ, quos aliqui putant à diuo Iulio conſtitutos, & nominatos Cereales. Ædilium curulium poteſtas adeò creuit, vt ad eos ſumma rerum & maieſtas conſularis imperij venerit.

De Cenſoribus. CAP. XXI.

[1] Auctus legit Garro, & recentiores, in Pomp.d.l.2. § poſt deinde

CVM cenſus auctus [1] eſſet, & conſules non ſufficerent, duo creati fuere, ad quorum cenſionem, id eſt, arbitrium cenſeretur populus, & ob id cenſores appellati: & primi fuerunt, C. Papirius, & A. Sempronius, M. Geganio Macerino, & T. Quintio Capitolino conſſ. Creabantur autem quinto quoque anno, quod tempus, luſtrum appellabatur. Aſconius Pædianus ait, cenſores quinto quoque anno creari ſolebant. Hi prorſus ciues ſic notabant, vt qui ſenator eſſet, eijceretur ſenatu: qui eques Rom. equum publicum perderet: qui plebeius, in centum tabulas referreretur, & ærarius fieret, ac per hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ: ſed ad hoc eſſet ciuis tantummodò, vt pro capite ſuo tributi nomine æra præberet. Iidem completo quinquennio luſtrabant, & taurilia ſacrificia, de ſue, oue, tauro, faciebant.

[2] Ab hoc loco, vſque in finem, hoc contextu caput iſtud citatur ex Ant. Garr. Pomponij diſcipulo, d. §. poſt deinde, vt dubium non ſit, ſic eſſe reſtituendum.

Ciuium Romanorum primus [2] cenſus factus eſt ſub Seruio Tullo LXXXIIII. milium, & DCC. Secundus cenſus tertio anno, poſt fugam Tarquiniorum, P. Valerio Publicola, & T. Lucretio conſſ. Inuenta puberum Romanorum CXXX. milia. Tertius cenſus anno XII. T. Largio Flauio Q. Clœlio Sicelo conſſ. Idem T. Largius dictator cenſum renouauit. Inuenta puberum Romanorum CL. milia & DCC. Anno XIX. id eſt ſecundo poſt creationem tribunitiam, habitus à conſulibus cenſus quartus,

tus, & inuenta ciuium Rom. C L X I. milia, & D C C. Anno XXXVI. Seruio Seruilio, & Au. Verginio conſulibus, habitus cenſus quintus, & inuenta ciuium puberum plura, quàm centum & decem milia, & cæterorum trecenta, & X X X. milia. Anno X X X V I I I. Au. Manlio, & L. Furio conſſ. habitus cenſus, & inuentus ciuium Rom. incertus numerus. Supra annum L X V I. vt diximus, creati cenſores fuere.

De Decemuiris. CAP. XXII.

ANno ab vrbe cõdita C C C I I.[1] Decemuiri pro conſulibus creati ſunt, & tertio anno depoſiti, libidine Appij Claudij, qui Virginiam ſtuprauit. Decemuiri hi fuerunt: Appius Claudius Regillanus, T. Genutius, P. Sextius, Sp. Veturius, C. Iulius, A. Manlius, [2] P. Sulpitius, [3] P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Poſthumius Albus: hi ex Athenis leges tulerunt in X. tabulis: datumque eſt eis ius ſummum, à quibus prouocatio non erat: & datum etiam, vti leges corrigerent, & interpretarentur. Sequenti anno, duas tabulas addiderunt, & inde appellatæ leges X I I. tabularum. Quidam volunt, non eburneis, ſed æneis tabulis impreſſas leges pro roſtris poſitas. Quarum ferendarum auctorem fuiſſe decemuiris Hermodorum Epheſium exulantem in Italia, ſcribunt: vt Pomponius refert. Dioniſius pro Curiatio, Horatium dicit. Sequenti anno Decemuiri rurſus creati: Appius Claudius, Q. Fabius

[1] Hactenus omnia exemplaria cccix. habuere, ſed reſtituendũ ccc ij. Criſpinianus monet ad Caſſio. Coſſ. anno ab vrbe cond. 302.

[2] Sigo. legit Ser. Sulpitius

[3] P. Curatius, T. Romilius

Vibulanus, M. Cornelius Maluginenſis, M. Sergius,[3] L. Minutius, T. Anthonius Merenda, M. Robuleius, Q. Petelius, Ceſo Duilius, Sp. Oppius Cornicenſis. Apud Diodorum ſunt, C. Ser. & P. Manius. Tertio anno ijdem præfuere, neque ſenatu, neque plebe ſuffragia dante, & ideo vi magiſtratum obtinuerunt.

3 Seruilius habet Liui.

De Proconſulibus. CAP. XXIII.

A Poſthumio Albo, & Sp. Fuſco conſſ. bello infeliciter contra Equos geſto, Proconſul creatus eſt, T. Quintius, & is primus in eo magiſtratu fuit. Eum ſex lictores præcedebant, cætera omnia habebat, vti conſules, & inde ſtatutum eſt, vt qui conſules vno anno fuiſſent, ſequenti proconſules eſſent, deinde Proconſules ad Prouincias mittebantur, & ſinguli ſingulos legatos habebant, qui adminiſtrationi præſtarent auxilium. Proconſul poteſtatem exercet in ea prouincia tantùm, quæ ei tradita eſt, vel decreta, niſi vocaretur in iuriſdictionem voluntariam. Apud Proconſulem, vt Martianus ait, ſeruorum manumiſſio fieri poterat, & adoptio. Apud proconſulis legatum, nemo manumittere poteſt. Sub Cæſaribus diſtinctæ prouinciæ: nam conſulares ſub ſenatu Pop. q, Rom. erant, proconſulares ſub Imperatoribus.

De

De Prætoribus, & Decemuiris, & Curatoribus Viarum, & Triumuiris, & Quinqueuiris, & Centumuiris.

CAP. XXIIII.

EO tempore, quo pertinacia Tribunorum plebis, qui Romæ ſine conſulibus quinque annis præfuere, L. Seſtius ex plebe conſul creatus eſſet, patres præturam nouum Magiſtratum, Sp. Furio Camillo, M. Filio dederũt: hic primus prætor vrbanus fuit, à præeſſendo, prætor nominatus eſt. Prætoris inſignia, ſella curulis, trabea, lictores ſex, & cætera conſulum inſignia. Pomponius [1] in hæc verba ait: Cumque Conſules auocarentur bellis finitimis, neque eſſet, qui in ciuitate ius reddere poſſet: factum eſt, vt prætor quoque crearetur, qui vrbanus appellatus eſt, eò quòd in vrbe ius redderet. Poſt aliquot deinde annos, non ſufficiente eo prætore, quòd multa turba etiam peregrinorum in ciuitatem veniret, creatus eſt, & alius prætor, qui peregrinus eſt appellatus, ab eo, quòd plerumque inter peregrinos ius dicebat. Deinde cùm eſſet neceſſarius magiſtratus, qui haſtæ præeſſet, decemuiri [2] litibus iudicandis conſtituti ſunt. Eodem tempore conſtituti ſunt, quatuor viri, qui curam viarum haberent. Et tres viri monetales, æris, argenti, auri flatores, et tres viri capitales, qui carceris cuſtodiam haberent, vt ſi animaduerti oporteret, interuentu

1 d.l.2.§.deinde cùm placuiſſet.

2 Centumuiri multi legunt.

uentu eorum fieret. Et quia magiſtratibus veſpertinis temporibus in publicum eſſe inconueniens erat, quinque viri conſtituti ſunt cis Tiberim, & vltra Tiberim, qui poſſent pro magiſtratib. fungi. Deinde prætores creati ſunt numero captarum prouinciarum, qui partim vrbanis rebus, partim prouincialibus præeſſent. Deinde Cornelius Sylla quæſtiones publicas conſtituit, veluti de falſo, de parricidio, de ſicarijs, & prætores quatuor adiecit. Ab honore, qui præturæ habebatur, ius honorarium appellatum, quæ prætorum edicta erant.

De procuratore Cæſaris. CAP. XXV.

PRocuratori Cæſaris omnis res familiaris commiſſa erat: etiam quicquid is egiſſet, ratum erat apud Cæſarem, & penes hunc magna erat auctoritas.

POM-

POMPONII LÆTI DE SACERDOTIIS ROMANORVM.

LIB. ALTER.

De prima religione apud Latinos. CAP. I.

FAunus, antiquiſſimus omnium Regum in Latio fuit, Aboriginibus imperauit, homines more ferarum viuentes, in mitiorem vitam redegit, lucos ſacrauit, locis & vrbibus nomina dedit, ædificia erexit, templa ædificauit, quæ ideo à Fauno, fana dicuntur, quòd pontifices ſacrando illic fantur. Faunus in Latio cultum deorum inſtituiſſe fertur. Quidam ſcribunt ante Faunum imperaſſe Ianum, & cultum deorum demonſtraſſe. Fauni ſoror Fatua [1] vaticinatrix, ab ea vates Fatuarij dicuntur: hæc traditur mulierum caſtiſſima, ideo eam Romani Bonam deam appellauere, cuius templum eſt in ſaxo Auentini montis, vnde ingreſſus virorum prohibetur, & ei fœminæ tantùm ſacrificant.

[2] Veſtham potius, vel Eſtham priſco vocabulo quam fatuã dici debuiſſe, Robert. Cœn. hunc locum explicans contendit. De re Gallica li. 1. perioch. 1.

De Lupercis. CAP. II.

LVpercalia ſacrificia, ad expiandos manes fiebant: Græcè Licæa dicta, à Pane Licæo numine Arcadico, quem Romani vocant Iunum, & idem putatur eſſe Faunus. Licæo

Licæo ſacrificatur in ſpelunca, quæ ſub Palatino monte eſt. Menſis (quo hæc ſacra fiunt) Februarius, à februando, id eſt, purgando, dicitur, & dies Lupercaliorum februata. Euander ex Arcadia hoc ſolenne in Latium tulit, & inſtituiſſe fertur, vt nudi iuuenes Licæum Pana venerantes, per luſum atque laſciuiam currerẽt, hoc primum ludicrum, id eſt, Lupercal Romulus accepit. Dictum videtur, à Licæo, quia λύκος lupus eſt, inde Lupercal. Scribunt aliqui à Lupa nutrice Romuli ac Remi. Nam ab eo loco ſolenne incipit, vbi Lupa lac vagienti præbuit, aut à capris, vt ſit luere, id eſt, purgare per capras (capræ enim in eo ſacrificio mactantur) aut quòd Pan lupos arceat. Traditur & alia cauſa, quare nudi Luperci: aut quòd Faunus per veſtes ab Hercule deluſus fuerit, vt meminit Ouidius. Aut quod cæſo Amulio, Romulus, & Remus, fœdati vultus ſanguine nudatis gladijs, & veſtibus ſuccincti, ab Alba, vſque ad ficum Ruminalem cucurrerunt. Vnde ſeruatur in Lupercalibus, vt nobiles adoleſcentes faciem ſanguine ſibi fœdent, & alij accurrant, cum lana lacta madida, tabum abſtergentes. Aut, quòd cùm Romulus in paleſtra eſſet, nudus latrones inſecutus fuerit, & votum Pani Licæo fecerit. Sed ego veriùs puto vel à Liceo, vel à lupa. Ideo Romani in Lupercalibus canem immolãt, quoniã naturaliter canis lupis aduerſatur, ob quod Romulus Lupæ nutrici gratias habere videtur. Luperci tergora capris eripiunt, & ſuccincti diſcur-

currunt,circum antiquum oppidum, id eſt, palatium:occurrentes corijs verberant. Fœminæ vltrò obuiam occurrunt, facilem partum ſperantes.

De Potitijs, & Pinarijs. CAP. III.

VIctor Hercules, cæſo Geryone Chriſauri filio, in Erythra, quæ eſt inſula Oceani Hiſpani, abacto nitidarum boum armento, in Latium venit, & prope Tyberim loco herbido procubuit, vt læto pabulo reficeret boues. Cacus latronum princeps, eximias boues duas, caudis in ſpeluncam traxit: Hercules ſomno excitus, luſtrato grege, cum partem abeſſe numero ſenſit, omnia circumit, aduerſa veſtigia comperit, confuſus nouitate rei, ex loco infeſto agere armentum cœpit. Cum actæ boues deſiderio relictarum mugiſſent, reddita fuit è ſpelunca vox, quæ Herculem conuertit: inuenta fraude, Cacum neci dedit. Concurſus trepidantium paſtorum, aduenam reum cædis faciunt apud Euandrum, qui miraculo literarum, inter rudes artium homines, ea loca tum regebat. Is intuens habitum, formamque viri, rogat, qui vir eſſet: vbi nomen, patremque, ac patriam accepit, quia ſic Carmenta mater eius vaticinata fuerat, extemporalem aram Herculi erexit, vt quotannis Ro. bouem indomitum, Herculi immolent, & Hercules epulum populo dedit, ſacrum fieri voluit à Potitijs, & Pinarijs, quæ tum familiæ maximè incli-

inclitæ, ea loca incolebant. Fortè euenit, vt Potitij præſtò eſſent, hiſque exta apponerentur, & Pinarij, quia tardè fuere, extis adeſis, ad cęteram venirent dapem. Potitij ab Euandro edocti, antiſtites ſacri eius, diu fuerunt: poſteà cùm interijſſent, empti de publico ſerui, officium exercuerunt. Ara ab Euandro erecta, cui Hercules decimas ſoluit, maxima vocatur, & proxima eſt foro boario, vbi ex voto decimæ fiunt. Tradunt, qui velit diues fieri, Herculi decimas ſoluat, hinc opes M. Luculli factæ memorantur, & ipſe Hercules theſaurorum deus putatur.

De Fratribus Arualibus, qui primi fuerunt filij Laurentiæ. CAP. IIII.

MAſſurius Sabi. qui tempore Auguſti fuit, XII. ſuſcepiſſe liberos Accam Laurentiam ſcribit, ex quibus cùm vnum extuliſſet, grauiter indoluit. Romulus in demortui locum ſe dedit, & ita nutricem pientiſſimè conſolatus eſt. Ab hoc numero duodenario, aruorum ſacerdotes XII. eſſe voluit: &, vt Plinius ait, ſe, inter liberos Accæ Laurentiæ, fratrem duodecimum appellauit. Fratres aruales hi nominati ſunt, qui ſacra publica faciunt, propterea, vt fruges ferant arua. A ferendo igitur, & aruis (vt Varro ſcribit) fratres aruales dicti ſunt. Laurentiam in eo ſacerdotio dediſſe Romulo ſpiceam coronam, pro religioſiſſimo inſigni, quæ vitta alba colligaretur: & idem Plinius ait.

De

De Auguribus. CAP. V.

AVgurandi ars antiquiſſima, à Chaldæis ad Græcos (apud quos Amphiaraus, Mopſus, & Calchas, ſummi augures habiti ſunt) à Græcis ad Hetruſcos venit, ab Hetruſcis ad Latinos, & ipſe Romanorum pater Romulus augur fuit,& ideo inſtituit Magiſtratus augurijs confirmari, & poſteri (non niſi augurio iubente) res inchoabant. Locus augurij templum erat, augur verſus Orientem ſedebat; capite velato, lituum dextra tenens manu, id eſt, curruum baculum, quo in cælo regiones diuidit: & quæ auguria veniunt, prædicit. Si leua fuerint, quia aliena parte Septentrio eſt, felicia pronunciat, pars illa vrbis propter altitudinem proſpera putatur, & à dextera parte Meridies, quia depreſſus eſt, infelix. Dioniſius meminit, antiquam augurandi obſeruationem fuiſſe, etiam Aboriginum. Nam Aſcanius priuſquam aciem contra Mezentium educeret, augurium captauit, & vbi micare à ſiniſtris fulgur conſpexit, pugnauit,& victor fuit, tantaque veneratio,& vtilitas inde fuit, vt collegium augurum conſtitutum ſit, & primùm tres augures fuere, à tribus tribubus, ſic inſtituiſſe Romulum tradit Dioniſius: Inde quatuor creati. Tandem plebe per Tribunos id petente, quinque plebei augures, quatuor patritijs adiuncti fuere:& ſic numerus nouem augurum manſit.

De Veſtalibus. CAP. VI.

VEſtalem ignem cum penatibus, Æneas è Troia in Latium tulit, condito Lauinio, Veſtæ ædem ſacrauit. Poſtea Aſca. cõdita Alba, templum Veſtæ ædificauit in montis Albani parte, cui ſuberat lucus, in quo Ilia Romuli mater, à Marte compreſſa fuit. Veſtæ miniſtræ virginitatem ſeruabant. Mos Latinis fuit, generoſas & caſtas virgines legi. Poſt multos annos Romulus caſtiſſimas ſacrorum cæremonias conſtituit, & (vt Varro tradit) ſacerdotes ſexaginta, qui publica ſacra facerent, per tribus, & curias creauit, à virtute, & generis nobilitate. Inopes, & aliqua parte corporis debiles, ſacerdotes fieri vetuit, & in curijs ſingulis, Veſta quædam communis erat. Templum Veſtæ Romulus condidit, & virgines legit. Sed frequens opinio Numam Pompilium aſſerit. Credibile eſt Romulum, qui in omnibus curijs Veſtam eſſe voluit, ſeparatim non poſuiſſe. Rotunda effigie templum eſt, inter Capitolium, & Palatium: in eo ſeruabatur perpetuus ignis, quia Veſta nihil aliud eſt, quàm purus ignis. Sunt qui dicant, alia quædam arcana in eo templo ſeruari, etiam pontificibus & virginibus ignota, quidam duo dolia non magna, alterum clauſum, alterum apertum, in quo nihil eſt. Quidam aiunt à virginibus Palladium ſeruari, cælo lapſum in Troia. Primæ virgines à Numa electæ quatuor fuere, Gegania, Berennia, Camilla, Tar-

Tarpeia: duæ aliæ à Seruio Tullo additæ. Caſtitas virginibus terminata eſt in xxx. annos, decem primis diſcit virgo, totidem miniſtra eſt, in reliquis docet, poſt xxx. annos nubendi poteſtas ei fit. Prima, quæ capta fuit, Amata traditur, ideo cùm capitur virgo, hoc nomen ei imponitur. Capitur à pontifice non minor annis VI. & non maior X. & quæ non ſit patrima, & matrima, néue lingua, ſenſu aurium diminuta, aliáue corporis labe, neque filia ſerui, neque eius, qui domicilium in Italia non haberet, Veſtalis ſi petulanter deliquiſſet, verberabatur à pontifice: ſi inceſta fuiſſet, hoc modo pœnas luebat: vincta efferebatur in Sandapila, per medium forum vſque ad portam Collinam, ibi tumulus impudicarum Veſtalium inter muros imminet, in quo eſt parua cauerna ſubterranea, ad quam per foramen ſcalis deſcenditur, in qua eſt ſtratus lectulus, & lucerna ardens, & panis, lac, oleum, ne fame intereat. Deponitur hîc Veſtalis, ſoluitur vinclis, capite velato in ſupplicium ducitur. Pontifex, cùm arcana quædam pronunciauit, cum ſacerdotibus, terga vertit, & ſtatim impudica Veſtalis, in cauernam demittitur, inde foſſa tellure, repletur, vſque ad operculum: ea die ſilentium, & mœſtitia, in tota vrbe eſt.

De Flaminibus. CAP. VII.

DIalem & Martialem Flaminem Romulus inſtituit. Numa Quirinalem addidit. Varro aſſerit, Numam Pompilium

flamines ſingulis dijs feciſſe, & ab eis nomina dediſſe, hinc Reſp. hominibus in cælum relatis, flamines decreuit. Dicti autem flamines ſunt, ex geſtatione pileorum, quaſi pileamines. Quidam aiunt ab inſulis, quas flammas vocant. Eorum miniſtri, Flaminij dicti: & miniſtræ, flaminulæ. Sed rerum omnium ſacrarum adminiſtri, Camilli dicebantur: Flamines non poterant, niſi ſinguli ſingulis dijs attribui, & nephas ſine pileo erat, egredi domum.

De Salijs. CAP. VIII.

SAlios XII. Marti Gradiuo legit Numa, dicti à ſaltando, quod facere in comitijs quotannis & ſolent, & debent, verſicoloribus tunicis ornati, per vrbem tripudiant, ſuccincti æneis baltheis: Togas fibulis nectunt, quas trabeas vocant, geſtant in capite pileos, quos vocant apices, gladio accinguntur, dextra lanceam, aut virgam ferunt, leua Traciam peltam, cæleſtia ſunt arma, ancile vocant, id eſt circum exciſum, id fertur cælo lapſum in regiam Numæ, anno octauo regni eius. Lege cautum erat, vt Salij liberi eſſent, & indigenæ, & quorum vterque parens viueret, & cuiuſcunque fortunæ, pauperes aut diuites. Quidam Salios appellatos putãt à viro Samo Thrace, ſeu Mantineo, nomine Salio, qui ſaltationem in armis inuenit. Traditur Tull. Hoſt. duplicaſſe numerum Saliorum.

De

De Fœcialibus, & Patre patrato.

CAP. IX.

FOeciales dicti, quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat, vt iuſtum conciperetur bellum, & vt fœdere fides pacis conſtitueretur. Eos inſtituiſſe dicitur Numa, cùm indicendum eſſet bellum Fidenatibus. Hi mittebantur, priuſquam conciperetur bellum ad res repetendas, & ſi non impetrabant, bellum indicebant. Fœcialium vnus, qui patrem patratum faciebat, ex ipſis fœcialibus electum, ſacris veſtibus ornatus, ad auctores iniuriarum procedebat, priuſquam vrbem intraret, ianitorem, vel alium, qui obuiam fuiſſet, alloquebatur, quibuſdam imprecationibus. Inde in forum pergit, illic diſſerit, qua cauſa venerit, tempus ad conſultandum dat, xxx. dierum, ſi per hos dies res infecta maneret, dijs cæleſtibus, manibusque inuocatis abit, & ad ſenatum refert: & vbi in ſenatu, quod iuſtum piumque eſſet, actum erat, Fœcialis bellum indicebat. Fœcialium ſacra nefas violare erat: nam Fabius, cùm ea violaſſet, vrbs Romana à Gallis Senonibus euerſa fuit. Dicuntur Fœciales à fœdere faciendo, ſeu feriendo. Pater patratus à patrando, id eſt ſanciendo fœdere, qui à fœcialibus creabatur, qui tantùm in fœdere ſanciendo præerat, vt quidam ſcribunt.

De Pontificibus. CAP. X.

POntifices è patribus legit Numa, & ex his Pontificem maximũ fecit Martium Martij.F. & ipſius Numæ generũ: cuius ſcitis omnia publica, priuataque ſacra ſubiecit: vt eſſet, quô conſultum plebs veniret, & idem non cæleſtes modò cæremonias, ſed & iuſta funebria, & prodigia quomodo ſuſciperentur, & curarentur. Defuncto Pontifice maximo, alius eligebatur, non à populo, ſed ab ipſis Pont. Appellati ſunt (vt Varro ſcribit & Dioniſius) à ponte Sublitio, quem reficiebant: quare videntur à Numa, non pontifices, ſed ſacerdotium principes nominati, & inde regnante Anco. Mar. quando Sublitius pons factus fuit, à ponte pontifices appellati: & ideo ſacra ab eis trans Tyberim non mediocriter ad pontẽ fiunt. Scæuola Pont. Max. dicebat pontifices dici, à poſſe & facere. Quidam ſcribunt, ab eo, quod potentia ſacra perficiant.

De Rege Sacrificulo. CAP. XI.

POſtquam Romani iam liberi extincto regio nomine, conſules crearunt, necubi deſiderium regis eſſet, propter quædam ſacra publica, quæ reges faciebant, regem ſacrificulum conſtituerunt, & è patribus elegerunt C.[1] Manium Papyrium: & id ſacerdotium pontifici ſubiecere, ne nouæ libertati additus nomini honos officeret. Is Papyrius, quietis ſtudioſiſſimus fuit, idem fuiſſe memoratur, qui leges

[1] Quidam C. alij, Sex. tertij Pub. legunt: vt in adnot. meis in And. hoc cap.

ges Numæ,ab Anco Martio in tabulis querneis inſcriptas,rurſus in publicum traduxit.

De Gallis Sacerdotibus, Matris Deûm.

CAP. XII.

GAlli, ſacerdotes Cybeles matris deûm ſunt,& ſemimares,id eſt,caſtrati,ab eo, quòd Dea puerum Phrygium amauit Atym, cui præcepiſſe dicitur, ne concumberet: ille cum Sagaritide nympha coiuit ſub arbore, Cybele exciſa arbore, victa eſt. Puer ad Dindyma aufugit, & virilitatem ſibi amputauit. Ideo & Cybele caſtratos ſacerdotes habere ma uult.Secundo bello Punico, Romam etiam deportatus eſt ſacer lapis,quem matrem deûm incolæ dicebant, per legatos tres M. Valerium, L.Eminium, & C. Cecilium Galbam, & quæſtores duos Cn. Tremillium Flaccum, & M. Val.Falconem:receptaque fuit Dea Romæ à ſapientiſſimo homine P. Scipione Naſica, qui à Senatu in tota ciuitate vir optimus iudicatus fuit: & quod magis admirabile eſt, adoleſcens erat. Galli dicti ſunt, à Gallo flumine Phrygiæ, teſtes ſamia teſta ſibi amputauit. Rhea nominatur Cybele,à monte Cybelo, quæ eſt pars montis Dindymi.

Catullus gallas vocat: quòd erepta virilitate, mulieribus potius quàm viris adnumerandi eſſent. Notat Muretus ſecutus fidem codicis Octauij Pantagathi, in quo multa ingenioſè emẽdata erant.

De Duumuiris, & Decemuiris Sacrorum.

CAP. XIII.

DVumuiri à Tarq. Superbo inſtituti fuerunt,qui ſoli inſpicerent libros Sibyllinos, deinde cùm plebs creari ex

ſuis inſtaret, ex plebeis & patritijs creati decem, & inde XV. qui libros inſpicerent. Sic à Duumuiris ad decem viros, & XV. viros res deuenit: & aliquando data cura corrigendorum faſtorum fuit: Hi Februarium, qui vltimus erat, poſt Ianuarium poſuerunt.

De Epulonibus. CAP. XIIII.

VEteres pontifices (vt ait Cicero) propter multitudinem ſacrificiorum, tres epulones eſſe voluerunt, vt ludorum epulare ſacrificium facerent: id ſacerdotium antiquum fuiſſe conſtat, ſed de ætate nondum legimus, numerus auctus fuit, duo additi, & quinque fuere epulones, & poſtea theatralium ludorum, atque Circenſium ambitione, ſeptem fuiſſe epulōnes leguntur.

De Titijs Sodalibus. CAP. XV.

SOdales Titij ſacerdotes extra vrbem habitabant, & in tugurijs certa auguria ſeruabant, quoniam ad id deputati à Pont. erant. Nomen inditum eſt ab auibus.

RA-

RAPHAELIS VOLATERRANI DE MAGISTRATIB. ET SACERDOTIIS. ROMANORVM COMMENTARII.

Ex Commẽtariorum vrbanorũ lib. xxix.

Dictator

DE Romanorum Magiſtratibus, hæc comperimus: Primùm dictator pluribus de cauſis dicebatur. Aut rei gerũdæ, id eſt belli cauſa grauioris. Primuſque fuit T. Largius, cùm L X. populi Latinorum aduerſus Rom. coniuraſſent: auctor eſt Dioniſius Halicarnaſſeus. Deinde claui figendi cauſa, quum graui morbo, peſtilentiáue ciuitas affecta eſſet, ſenatus L. Manlium Imperioſum dictatorem, claui figendi cauſa dici iuſſit. Iſque clauus in æde Iouis in capitolio in dextro latere fixus eſt, auctor Liu. Sed & ob aliquam aliam calamitatem clauus affigi etiam ſolitus. Comitiorum item conſularium cauſa, vt conſul dictatorem diceret, ſi contingeret vtrunque, aut per bellum, aut aliam neceſſitatem ab Vrbe abeſſe: Aut quæſtionis exercendæ, quando Q. Cincinnatus dictator factus, vt Sp. Melij regnum affectantis, temeritati reſiſteret. Aut legendi ſenatus, numero deficiente, vt M. Fab. Butheo. Modus autem hic fuerat: Conſul dictatorem dicebat, dictator Magiſtrum Equitum, noctuque tantùm dicebatur, & in ſolo Ro

 mano,

mano, quod Italia terminabatur. Sexque tantùm menſes durabat. Et ex patritijs C. Martius Rutilius tantùm de plebe in bello Faliſcorum dictus, qui & ipſe de plebe hominem, L. Plaucium Magiſtrum equitum dixit. Procedebat cum lictoribus xxiiij. ac totidem ſecuribus, à quo prouocatio non erat. Magiſtratum hunc Romani ab Albanis acceperant, apud quos Metius Suffetius dictator inuenitur priùs fuiſſe.

Tribuni plebis.

Tribunorum plebis creandorum cauſa, ſeceſſus plebis fuit in montem ſacrum à ſenatu grauatæ. Inde per Menenium Agrippam reducta, dato exemplo ventris ad membra. Tribuni duo primùm creati: deinde per aliam ſeceſſionẽ tres, mox quinque alij, fuereque tandem numero x. Sacroſancta vocabatur poteſtas, nec ſicuti alię, per dictatorem vnquam ceſſabat. Abſque iudicij diſcuſſione in exilium, carceremque mittebat. Curiam non ingrediebatur, ſed in ſella ante veſtibulum permanebat, dum S. C. fieret: quod ſi probaret T. litera annotabat, ſi minus, intercedebat. Ab Vrbe, nec per vnum diem abeſſe licebat. Domus eius die, noctuque apertis foribus patebat, vt auxilio plebi omnibus horis (ſi quando opus) foret. Præterea de plebe tantùm fuerat, & qui patrem viuum non haberet: ex quo Seruilius tribunatum falsò geſſiſſe creditus: quod pater eius, quem deceſſiſſe opinio erat, viuere ferebatur. Inter ſe quoque ſi diſſidebant, plus poterat vnus, qui prohibuiſſet, quàm reliqui, qui rem aliquam probaſſent: au-

ctor Plutarchus in Catone. Capitis etiam diem & Dictatori, & Conſuli poſt Magiſtratum dicere poterant: Nec purpuram, nec ſellam curulem, nec lictores, vt Coſſ. & prætores habebant, ſed tantùm vnum viatorem. Per aliam plebis diſcordiam, quę delectum pati non poterat, neceſſe fuit. Tribunos conſulari poteſtate creare: creatique ſunt ex patribus, A. Sempronius Atratinus, L. Atilius, & C. Cælius: auctor Liuius. Hi duorum generum erant comitiarij, qui in comitijs fiebant, & Rutilij ſeu Rufi, qui in caſtris: Nam Rutilius Rufus legem tulit de eis in exercitu creandis, vt auctor Feſtus. Prætores numero xviij. fuere: habebant ſellam curulem, & lictores ſex, trabeam item, reliquaque conſularia inſignia. Ab initio vnus tantùm Prætor vrbanus fuit, qui in vrbe ius diceret, omnemque publici, ac priuati iuris poteſtatem habebat, equis item albis vtebatur. Alius deinde Prætor peregrinus factus, qui inter peregrinos ius dicebat. Deinde adauctus paulatim numerus, qui & vrbanis & prouincialibus rebus adeſſent: Sylla quatuor, Auguſtus duos, Claudius totidem adiecit. Inter minores magiſtratus etiã ius dicebant. Abſentibus Coſſ. Prætor vrbanus ſenatum, & comitia habere poterat. In prouincijs non ſolùm ius dicebant, ſed res gerebant. Quæſtores ſub ſe habebant, qui vice eorum fun gerentur, cùm opus eſſet, ſicuti dictator Magiſtrum equitum, & conſul legatum. Proprætores prætoria poteſtate prouincias etiam adminiſtra-

Tribuni conſulari poteſt.

Pretores.

Proprętores.

Quæſtores niſtrabant. Quæſtores vetuſtus magiſtratus. Gracchanus Iuriſconſultus in eo libro, quem de Poteſtatibus ſcripſit, ipſum etiam Romulum, & Numam duos habuiſſe Quæſtores, quos non ſua voce, ſed populi ſuffragio creatos, ſcriptum reliquit. Deinde Tullum Hoſtilium ſine dubio Quæſtores etiam habuiſſe. Dictos autem à quærendo: quorum officium, partim ærarij, & vrbanæ pecuniæ curam agere, partim prouincias exigendis vectigalibus ſortiri, quandoque in ſenatu occupari: & hos candidatos principis eſſe dictos: nonnullos in exercendis quæſtionibus verſari: alios Quæſtores parricidij dictos, qui vt capitalibus rebus præeſſent, à populo conſtituebantur. Hæc ex libris Digeſtorum. Reperio quoque apud Valerium, Quæſtorum fuiſſe curam, legatos, regésue, Romam venientes, pro dignitate populi Rom. excipere, ac honorare, obuiamque proficiſci. Nam legati primùm ædem Saturni petebant, vbi ærarium erat, ibique mos erat, vt à Præfectis ærarij ſcriberentur eorum nomina, traderenturque Quęſtoribus, qui & eos donis proſequi, & ægrotos curare, ac demum mortuos ſumptu publico ſepelire ſolebant. Ærarium enim apud Saturni priùs ædem fuit: Hìc libri elephantini ſeruabantur, in quo xxxv. tribus conſcriptæ, tum ſenatuſconſulta omnia fuerunt: Libros autem linteos Pontifices retinebant, in quibus annales conſcribebant. In ipſo quoque ærario locus erat ſecretior, vbi vigeſima vectigalium ſeruabatur:

tur: Liuius xxxvij. Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, conſulibus: aurum vigeſimarium, quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruabatur, promi viſum eſt, prompta ad III.mil.pondo auri. Fiſcus deinde ærarium appellari cœptus, à fiſcella, id eſt crumena, vbi ſeruabantur pecuniæ, vt ait Varro. Primum fiſci aduocatum inſtituit Hadrianus princeps, vt teſtatur Spartia. Vectigal Pop. Rom. inter alia fuit vigeſima reddituum omnium rei frumentariæ in Italia: præterea ſal à ſingulis exigendum Salinatoris commentum. Qui vectigalia redimebant, publicani appellati, & mancipes publicanorum principes, vt ait Pedianus. Senatores primùm à Romulo centum inſtituti: Patres appellati: ex his geniti, Patricij dicti: qui verò poſteà per Reges ac alios additi fuere, patres conſcripti, & minorum gentium vocati apud Gellium. Fuereque vſque ad mille, quem numerum Auguſtus poſtea minuit. Qui non vti nunc mercedem aut ſtipendium aliquod à Repub. ſumebant, ſed gratuitam exhibebant operam, quod ſanè ex nonnullorum ſenatorum paupertate maximè declaratur. Liberalitas tamen principum multis prouidit. Auguſtus item, teſte Tranquillo, Senatus cenſum ampliauit, ac pro D.CCC. duodecies LLS. taxauit, ſuppleuitque non habentibus. Et in Veſpaſiano ſcribitur: Expleuit cenſum ſenatorum, Conſulares inopes quingentis ſeſtertijs annuis ſuſtentauit. Senatores libertinos in ſenatum, Commodus, teſte

Aduocatus fiſci.

Senatores.

teſte Lampridio, adſciuit: Cæſar etiam Gallos: Heliogabalus Senatulum mulierum in Colle Quirinali inſtituit. Auguſti quoque conſtitutione Senatores, priuſquam conſiderent, vino, & farre ſacrificabant ei Deo, in cuius ædem conuenerant: nec vltrà, quàm bis in menſe plerunque cogebantur. Ante ortum aut poſt occaſum ſolis ſenatuſconſultum irritum erat: Ante annos XXV. in curiam ingredi non licebat, poſt caſum Papirij Prætextati. Senatores ex lege poſt annos LX. non citantur, vt auctor Seneca ad Paulinum. Citatis verò ex lege non venientibus pignora auferebantur, vt videre licet apud Ciceronem de Oratore lib. iij. Duobus tantùm exceptis caſibus: cùm ſupplicatio videlicet, aut triumphus alicui decernendus. Nam tunc vti placerent, libenter omnes ſponte, minimeque coacti properabant. Ci. Philipp. prima. De ſupplicationibus referebatur, quo genere Senatores deeſſe non ſolent. Senatuſconſultum tribus modis fiebat, ſententia, verbo, diſceſſione, de quibus teſtatur Liuius XXXVI. Liuium Salinatorem inquit, olim damnatum in Senatum venire, & tondere, ſqualloremque ponere Cenſores iuſſerunt: ſed tum quoque aut verbo adſentiebatur, aut pedibus in ſententiam ibant, quos modos ſanè deprehendimus fuiſſe ignobilium. Senatorum præcipuorum verò ſententiam dicere. Pedibus ibant mouendo ſe in locum illius, cuius ſententiam probabant. Vnde pedarij Senatores dicti ſunt. Gellius verò etymi cau-

Pedarij

ſam dicit, quòd pedibus in ſenatum irent, ad eorum differentiam, qui curru vehebantur, in quo ſella erat, quod curulem iam dignitatem obtinuiſſent. In ſententia verò dicenda, is ordo erat, vt ait Gellius, ante legem de Senatu habendo. Princeps Senatus primùm à conſule rogabatur, deinde Coſſ. deſignati, deinde reliqui præcipuæ exiſtimationis. Cæſar conſul, Catonem rogauit, dicentemq́ue non placita, in carcerem duci iuſſit, ſequenteq́ue eum ſenatu, pudore motus prohibuit. Quem verò ordinem, vt ait Tranquillus in Cæſare, Cal. Ian. Conſul ſeruaſſet, toto anno ſeruabant. Sententia inſuper, ſi quando non tota placeret, diuidebatur. Cicero in epiſtola ad Lentulum: Poſtulatum, vt ſententia Bibuli diuideretur: Pedianus in oratione pro Milone. Cùm aliquis dixit, quod non probaretur, poſtulabant, vt diuideretur, & de ſingulis referretur: Seneca in epiſtolis. Quod fieri in Senatu ſolet, iubeo illud diuidere, & ſententiam ſequor. Et hæc quidem de ſenatu. Conſules primi poſt exactos reges L. Iu. Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, quibus dati xij. faſces, ac totidem ſecures, cum lictoribus: ita, vt apud vnum tantùm eſſent, ne timor duplicaretur. Isq́ue maior conſul appellaretur. Val. Publicola, eis ſecures ademit, dum prouocandi poteſtatem à Conſulibus dedit. T. Largius dictator reſtituit, ita tamen, vt minimè in caput Romani iniuſſu populi valerent. Addita his, ſella curulis, purpurea trabea, prætexta: quæ omnia Conſules

ab

ab Hetruſcis, teſte Liuio, accerſita ſunt. Plebs deinde per ſeditionem, alterum de ſuis obtinuit. Alterum item Campani ſuperbi per Annium petierunt Conſulem Campanum, quem Torquatus paulò minus, quin è curiæ gradibus præcipitem deiecerit: Prima hæc poſt dictatorem poteſtas: Ciues in carcerem mittendi, non tamen necandi auctoritatem habebat: Proconſules autem (vt narratur in libris digeſtorum) ſex lictores, ac tantùm in prouincia ius habuere, ingreſſi vrbis portas amittebant legatos, & ipſi conſtituebant, qui accepta ab eis facultate, adminiſtrabant. Candidati, & honores petituri, in campum ad Comitia deſcendebant, vbi in ſeptis, ouilibuſque locis, videlicet, eorum ſimilitudine factis. Comitia conſularia, calata, tributa, centuriata, curiata. Calata à calando, id eſt, vocando per lictorem: Curiata tantùm ex curijs ciuium, quæ xxx. fuerant, conſtabant: Centuriata frequentiſſima, per Cornicinem ex cenſu & ætate accerſebantur: Tributa verò ex omnibus regionibus vrbis, & tribubus. Accedebant prerogatiuæ iuniorum, ſeu veteranorum: hoc eſt, ex omnibus, qui militarent iuuenibus & veteranis: Centuriæ ad ſuffragia deligebantur. Conſul verò ſortiebatur, quæ pro vno quoque candidato prærogatiua iuniorum prius ad ſuffragia mitteretur, quàm & præco citabat in montem citatorum dimiſſa. Claſſes verò in centurias diſtributę fuerant: Dabantur ſuffragia duobus modis: Primo, mos fuit, ſententijs ab vtra-

Proconſules

Candidati.

Comitia.

que

que parte dictis. Deinde tabellis, vt deprehenditur in Cicerone legum ij. In ea, inquit, ſum ſententia, qua te ſemper fuiſſe ſcio, nihil vt fuerit in ſuffragijs voce vtilius. Quis autem non ſentit autoritatem optimatum tabellariam legem abſtuliſſe? quam populo libero nunquam deſiderauit, in oppreſſis dominatio & potentia principum flagitauit. Quandoque non in comitijs Conſules, ſed per Interregem ad hoc factum legebantur ob candidatorum tumultum, & arma, Liuius iiij. Per Interregem creati Coſſ. ac pronunciati, L. Val. & M. Horatius: acta res in Flaminijs pratis. Pompeium quoque ſolum creatum Coſſ. per Sulpitium Interregem legimus apud Plutarchum in Pompeio, Collegæque poteſtatem ei attributam fuiſſe. Candidati veſte induti alba, ſine toga, vt ait Plut. ne munera ad corruptionem abſconderent: ciues rogabant, prenſabantque, merita commemorabant. Naſica vir ſanctiſſimus bis candidatus repulſam habuit. Cæ. Metellus ſemel in conſulatu, qui poſteà Macedoniam patriæ ſubiecit. Cato quoque ſemel & Q. Ælius Tubero vir ſtoicus in prætura ob menſas pellibus hœdinis, Populo Rom. paratas. Cenſores primi L. Papirius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus: anno Vrbis CCCX. per quinquennium ab initio facti: deinde ob eorum inſolentiam per Mamercum Æmylium dictatorem ad annum & ſex menſes redacti: vt auctor Liuius iiij. Alteroque defuncto ſe etiam alter magiſtratu abrogabat, toti- Cenſores.

L dem-

demque fiebant. Cenſum agebãt ciuium Rom. luſtrumque condebant: quem priùs Seruius Tullius inſtituit, rem ſaluberrimam: ex quo belli pacisque munia, non viritim, vt antè, ſed pro habitu pecuniarum fierent. Cenſu perfecto edixit, vt in campo Martio omnes ciues quiſque cum ſuis centurijs prima luce adeſſent: ibi inſtructum exercitum omnes, ſue, oue, taurisque luſtrauit: idque conditum luſtrum appellatum, quia in cenſendo finis factus eſt: milia L X X X. eo luſtro ciuium cenſa dicuntur. Bello ij. Pu. cenſa fuere ciuium capita C X X V I I. milia, & C V I I I. ex quo numero apparuit quantum hominum Pœnus abſtuliſſet. Liuius X X V I I. Idem lib. X I X. dicit ſub Q. Pompeio, & Q. Metello Cenſ. ſtatim poſt III. bellum Pu. cenſa fuiſſe capita CCC.XIX. milia, & D. CCCXXXIII. præter pupillos, & viduas, quo nunquam maior numerus. Præterea diſciplinam ordinum, morúmue curam habebant: Senatum legebant, ab eoque indignos amouebant. Quorum tanta ſeueritas fuit, vt oſcitantem paulò altiùs ciuem Rom. in publico ignominia adfecerint: & equiti Romano, qui equum ſtrigoſiorem haberet, ſe autem pinguem, molliùs vt curaret equum, admonuerint, auctor Gellius. De Præfecto vrbi ſic ſcribitur in libris Digeſtorũ: Omnia crimina, quæ per totam Italiam admittebantur (vt in Epiſtola Diui Seueri ad Fabium Cilonem cautum eſt) præfectura vrbi ſibi vendicat. Initio verò eius epiſtolæ, ſic ſcribitur: Quum

Lxxxiiij. inquit Lætus in ſeq. quoque numeris varians, vt in adnot.

Quum vrbem noſtram fidei tuæ commiſeri-mus. &c. Quicquid igitur intra vrbem admittitur, ad Præfectum vrbi videtur pertinere. Sed & ſi quid intra centeſimum lapidem admiſſum ſit, Præfecti vrbi ad cognitionem pertinet. Si vltrà, Præfecti vrbi notio non erit. Curam præterea habet tutorum, curatorum non proborum, ſed & numulariorum, vt ab illicitis abſtineant. Macellum quoque, ac forum boarium, ſuarium, piſcarium, olitorium curat, vt iuſto veneant res precio. Præfecti annonæ frumentum prouidere vrbi habebant, emereque à ciuibus quod victui ſupereſſet. Præfectos vigilum, vt ſcribitur in Digeſtis, Auguſtus primùm conſtituit, ad incendia reprimenda, quod erat anteà officium Triumuirorum: nam cohortes opportunis vrbis locis diſpoſuit, quibus præfectos conſtituit, qui furum, incendiariorum, raptorum, receptatorum crimina vindicabant. Præfectus prætorio, vt in eiſdem ſcribitur libris, erat apud Imperatorem: qualis Magiſter equitum apud Dictatorem. Nam diſciplinæ publicæ præerat, à quo ex Cæſarum priuilegio prouocare non licebat: ſecundum, poſt Imperatorem, locum obtinebat. Ædiles plebei, & Curules ſatis nomine ipſo diſtinguuntur. Hi ludos curabant, aquas, cloacas, publicaque ædificia. Quicquid etiam rerum vitioſarum pro ſyncero, fractumque pro integro veniſſet, Ædilitio edicto, redhiberi ſolet. Petitis per legatos, & allatis Atticis legibus, ad eas proponendas

Prefectus annone

Præfecti Vigilum

Prefectus prætorio

Aediles plebei, & curules.

Decemuiri legib.ſcrib.

Decemuiri : inter quos Appius Claudius, & T. Genutius Principes fuere, pro Conſulibus ſine vllis alijs magiſtratibus creati, à quibus non eſſet prouocatio:anno ab vrbe condita, ccci. Hi deſcriptis legibus, quum modeſtè ſe geſſiſſent, in alterum quoque annum eundem eſſe Magiſtratum placuit. Quo tempore, quum plura impotenter feciſſent, Magiſtratum deponere nolentes, in tertium annum detinuerunt, donec inuicto eorum imperio, finem attulit Appij in Virginiam libido : ad quem ſumma rerum referebatur: quo facto, plebs incitata, occupat Auentinum, Decemuiros ſe magiſtratu abdicare coëgit : ex quibus Appius, & vnus collegarum, qui præcipuè pœnam merebantur, in carcerem coniecti, cæteri in exilium acti. Inſtante igitur Virginij accuſatione, & ex altera parte Claudiorum omnium deprecatione, Virginij lachrimæ iuſtiores viſæ fuerunt. Itaque antequam dies adeſſet, Appius ſibi necem conſciuit. Liuius lib.iij. Triumuiri capitales, cauſas criminum capitalium cognoſcebant, ab initio duo fuerant, iam inde concreati ad iudicandum Horatium illum, qui ſororem interfecerat, rediens à victoria Curatiorum. Triũuiri coloniæ educendæ: ad hos pertinebat, vt agros nouis deductis colonis, diuiderent, vrbes deſignarent: ædificare volentibus, areas partirentur : commodis Regionibus ciuitatem diſtinguerent, legibus, magiſtratibusque ſiſterent, & ad ſpeciem optimæ gubernationis Rempub. effingerent.

Triumuiri Capitales.

Triumuiri Coloniç deducendç.

Trium-

Triumuiri Reipub. conſtituendæ hi fuere: M. Antonius, Octauianus, & M. Lepidus. Quum autem magiſtratibus horis veſpertinis in publicum conuenire, fas non eſſet, vt habetur in libris Digeſtorum, creati quinque viri cis Tyberim, & totidem vltra, qui poſſent pro magiſtratibus fungi. Erant & Quinqueuiri, qui minuendis publicis ſumptibus iudicio Senatus conſtituti erant, auctor Cæcilius lib. ij. epiſtol. Et item Quinqueuiri Menſarij, de quibus poſteà dicam.

Triumuiri Reipub. conſtituendæ.

In publico eſſe inconueniens erat inquit Pomp. l. 2. § et quia ff de orig. iur.

RAPHAELIS VOLATERRANI DE SACERDOTIIS ROM. COMMENTARIVS ALTER.

Pontifex Max.

Pontifex maximus ſupra omneis Pontifices, omniaque ſacra erat, penes quem libri rituales, lintei, elephantinique erant, vbi annales ſcribebant: Tantaque pollebant auctoritate, vt Metellus Cæcus, Pont. Max. A. Poſthumium Coſſ. ad bellum properantem (quòd is Flamen Martialis eſſet) non ſit paſſus à ſacris recedere, vt Li. xix. teſtatur. Duumuiri ſacrorum, ſacris libris legendis, carminibusque Sybillæ, fatisque populi interpretandis præerant, vt ſi quid in vrbe portenti accidiſſet, lectiſternijs ad puluinaria deorum factis, eorum minas aueruncarent: præterea templa dedicarent. Septemuiratus Epulonum, genus erat Sacerdotij, additum Pontificibus, qui epularum, conuiuiorumque ſacrorum, & pontificalium cæremonias curarent. Rex ſacrificulus exactis regibus creari cœptus, ad obeunda quædã ſacra ſolis regibus fieri conſueta, quòd populus ægrè ferebat, diminutam propterea religionem, & numerum ſacrificiorum. Iu. Bruto, & M. Valerio Coſſ. Flamines Numa inſtituit, id eſt, ſacerdotes, quaſi filamines, quod lanam in capite quandam geſtarent: vnum

Duumuiri Sacrorum

Septemuiri Epulonum

Rex ſacrorũ

vnum Marti, vnum Quirino, & alium Ioui, qui flamen dialis diceretur, omnibus ſuperiorem. Idem & Salios xii. Marti, quòd ſaltando per vrbem irent dictos: Mamuriumque vocabant fabrum videlicet ancylium, ad ſimilitudinem illius, quòd à cælo delapſum fuit: Quæ inſtitutio diſcrepare non videtur à modo veteris legis: Dauid enim legimus ante arcam fœderis ſaltando proceſſiſſe. Potitij & Pinarij Herculis ſacerdotes, ab Euandro inſtituti: quæ familiæ tunc nobiles ea loca tenebant: Potitij diutius remanſerunt, ſublati tandem vtrique ab Appio Claudio Cenſore, his infenſo familijs: ob id creditur ira deorum luminibus orbatus: auctor Liuius. Fœcialis ſacerdotium, & patris patrati, idem ferè & in eijſdem rebus fuerat, in feriendo cum hoſte fœdere, & bello indicendo, iam vſque à tempore Tulli Hoſtilij: Formula autem fœderis feriendi huiuſcemodi à Liuio ponitur: Fœcialis inquit, Tullum ita rogauit: Iubes ne me Rex, cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Iubente Rege: Sagmina, inquit, te Rex poſco: Rex, ait, pura tollito: Fœcialis graminis herbam puram adfert, poſteà Regem ita rogat: Rex, facis ne tu me regium nuncium Populiq, Rom. Quiritium? Rex reſpondet, quod ſine fraude mea, Quiritiumque fiat, facio: fit ergo tunc fœdus, multiſque id verbis peragit, legibus deinde recitatis. Audi, inquit, Iupiter, audi pater patrate populi Albani, audi populus Albanus, audi vt illa palam prima, poſtrema, ex illis tabulis, cæ-

Salij

Potitij & Pinarij

Fœcialis & Pater Patratus

ráue, recitata ſunt ſine dolo malo, vtique ea hîc hodie rectiſſimè intellecta ſunt: Illis legibus Pop.Rom.prior non deficiet, ſi prior defecerit, publico conſilio, dolo malo, tum me dieſpiter ita Pop. Rom. ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam, tantóque magis ferito, quanto magis potes, polleſque: Id vbi dixit porcum ſaxo ſilice percutit: Eodem modo pars altera, per ſuos ſacerdotes, ſuumque dictatorem peragit: Cùm autem bellum per Fœciales indicunt, hoc more vtuntur: fœcialis haſtam ferratam aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum, quibus bellum indicit, defert, nec minus puberibus tribus præſentibus, hæc adijcit: Quod populi priſcorum Latinorum, hominesque priſci Latini aduerſus Pop.Rom. Quiritum fecerunt, deliquerunt, quòd Pop. Rom. bellum cum priſcis Latinis iuſſit eſſe, Senatusque Pop.Rom. Quirit. cenſuit, conſenſit, conſciuit, vt bellum cum priſcis Latinis fieret: ob eam rem ego populusque Rom. Populo priſcorum Latinorum hominibusque priſcis Latinis bellum indico, facioque. Id vbi dixit, haſtam in fines eorum mittit, ex quo bellum iuſtum eſſe intelligitur. Virgines Veſtales Numa inſtituit, quæ ſacra in Italiam per Aeneam adducta fuerunt: Virg. Sic ait,

Virgines Veſtales.

Et manibus vittas, veſtamque potentem,
Aeternumque aditis effert penetralibus ignem:

Antiſtius Labeo ſcripſit, minorem quàm annis ſex, maiorem quàm x. natam negauerunt capi fas eſſe: præterea, quæ ex ſeruis nata ſit, aut corpore

pore ſenſúue diminuto. Neque illa hæres cuiquam inteſtato, neque inteſtatæ illi quiſquam eſt, ſed bona in publicum redigebantur. Carpento vehebantur, Magiſtratusq́ue illis aſſurgebant, magnusq́ue apud hos illarum reſpectus fuerat: ſi quando pro reis, aut damnatis precabantur. Iul. Cæſar Tranquillo teſte, per Veſtales apud Syllam meruit veniam impetrare.
Ignem perpetuum ſeruabant, quæ autem per negligentiam extingui ſineret, flagris à Pontifice Max. cui ſuberant, cædebatur. In ſtupro deprehenſa, viua defodiebatur, eoq́ue die in vrbe publicí nihil fiebat. Nuper ſub radice Palatini è regione Coſmi & Damiani templi, multa Veſtalium monumenta refoſſa: in quibus ſtatuæ olim fuerunt, ex his duo tantùm ponam. Cœliæ Claudiæ V. V. maximæ, ſanctiſſimæq́ue, cuius egregiam ſanctitatem, & in deos infatigabilem operationem, meritis ſuis laudis æternam adhibita grauitate, numen quoque Veſtæ comprobauit. Sacerdotes ſacri vrbis, in dextro latere. Dedicata Cal. Mart. M. Iunio Max. ij. & Vellio Aquilio Coſſ. curante Fla. Martiano, & B. Fictore. V. V. Et in altera Fla. Maniliæ V. V. Max. cuius egregiam ſanctimoniam, & venerabilem morum diſciplinam, in deosq́ue peruigilem adminiſtrationem, Senatus laudando, com probauit: Aemylius Rufinus frater, & Flauij Sil uinus, & Irenæus ſororis filij ob eximiam eius erga ſe pietatem præſtantiamq́ue, in latere dextro. Collata xij. Cal. April. C. Veraio Attico, &

Augures A. Aſinio Prætextato. Coſſ. Augurum diſciplinam ab Actio Nauio, vbi de eo diximus, proceſſiſſe narraui: vnde collegium inſtitutum, cui tanta fuit auctoritas, vt nihil magni in Rep. fieret inauguratò inauſpicatoúe. Reges, Conſules, aut Dictatores, qui vicio creati per augures cenſebantur, redeuntes retractabantur: in monte conſiſtebat augur, manum ſupra caput eius, qui inaugurabatur, tenebat, cum lituo in altera manu, id eſt, recuruo baculo, Septentrionem à ſiniſtra, Meridiemque à dextra ſtatuens, oculis regionem præfiniebat: verbaq; quædam ad Iouem dicebat, atque ita inauguratus diſcedebat.

Luperci Lupercos Euander inſtituit ex more Arcadico Pani Lycæo, ſiue Syluano, ſeni nemorum, paſtorumque deo: Nudi per vrbem incedebant, laruati flagellis obuios cædentes, putabanturque ex eo ſteriles matronæ fœcundari: Ouidius cauſam adfert, quòd Pan, ſpolio leonis, noctu ab Herculis vxore fuerit deceptus, cùm illa veſtem cum viro commutaſſet, & quòd veſtem propterea abominatus eſt: noſtri hodie pœnitentes, felicius quàm Luperci, non pellibus quidem, ſed ſagis, linoque ora contecti, non alios, ſed ſeſe flagello conuerberant, nudum, ac lacerum tergum ferentes.

Sodales Sodales Sacerdotes, Romulus cum Tatio inita ſocietate fecit. Inde Titij, Antoniani, Auguſtales, & Hadriannales ſodales dicti: quippe, qui eiuſdem eſſent collegij, ſimulque habitarent. Dicti enim ſodales, quaſi edales.

Fratres Aruales Arualium collegium Romulus quoque inſtituit,

ſtituit, ſeque duodecimum fratrem appellari vo luit, nos fraternitatem & confraternitatem dicimus, qua ſanctiore inſtituto quidam inter ſeſe hodie mutua charitate, ac pudico ritu, certaque viuendi formula conueniunt. Potitij, & Pinarij Herculi, ara maxima ſub Auentino, ſacra faciebant: in cuius ruinis noſtra ætate repertum eius æneum ſignum, quod in atrio domus conſeruatorum, in capitolio conſpicimus. Galli, ſacerdotes erant matris deûm, cuius ſimulachrũ dicitur apud Peſſinuntem Phrigiæ, de cælo deſcendiſſe, & Romanos reſponſo accepto, non duraturum imperium ſine eo, legatos pro eo miſiſſe: conceſſum autem & aduectum: at in ripa Tyberis, conſediſſe nauem, eamque Claudiam Quinctam Veſtalem, quæ inceſti accuſata fuerat, traxiſſe, ſeque virginem probaſſe. Id veris initio ſtato, ſolennique die, quem Megaleſia vocant, Romani pompa celebrabant, prælata diuitiarum magna pompa: licebatque eo die cuique perſonas induere, ac cuiuſuis Magiſtratus, ac hominis imaginem effingere, & ante ſimulachrum ludere. Inde perſonæ illæ, quas noſtri ſeculi peſtilentia, non vno die, non ſacrorum, aut comediꝗ tantùm cauſa, ſed duos continuos menſes, per ferias ſtultorum permittit, ſub quibus inueterata paſſim licentia, cuique licet ſceleratо eſſe, omnique libidinis exemplo vti. Sed hæc hactenus: nam de celebritatibus Sacrorum, peculiare ſcripſimus ſyntagma.

Potitij & Pinarij

Galli

HEN-

HENRICI BEBELII IVSTINGENSIS, DE SACERDOTIIS, ET MAGISTRAT. ROM. LIBEL. AD REVEREND. IN CHRISTO PATREM GEORGIVM PISCATORIS, ABBATEM AD DVPLICES AQVAS.

Imperatores

IMperatores in principio erant, qui exercitui præerant, & ſinguli aliqua re feliciter geſta, à ſenatu hoc nomine ſunt honeſtati, & appellati. Cicero autem docet, Imperatorem à ſenatu appellari ſolitum fuiſſe, ſi quis mille, aut duo milia externorum hoſtium occidiſſet: Appianus verò de bellis ciuilibus ſcribens, ait nomen Imperatoris vendicari ſolere ab his prætoribus, qui in maximis belli operibus verſati eſſēt cum laude: nunc autem inquit, ſub quibus decem milia in bello cecidiſſent, hac appellatione dignos haberi audio: præterea ductores exercituum, & præfecti copiarum militarium, vocantur à ſcriptoribus Imperatores. Nunc verò Latiné, & ſignificanter, & verè, Imperator dicitur, qui rerum potitur, vniuerſamque Rempub. adminiſtrat: vt enim Imperium Rom. ab omnibus eleganter dicitur, & quaſi magnificentius quàm Regnum Romanorum: ita Imperator iure dicitur, qui ſummum dominium in Repub. Romana ha-

na habet. Nec curo quòd Leonardus Iuſtinianus Venetus aliter ſentiat, arguens barbariem Germanorum, quod Imperatorem ſupremæ poteſtatis nomen exiſtimemus: in apologia enim noſtra iniuriam nobis Germanis ab illo iniuſtam, & illatam gloriosè (vt ſpero) vindicaui, teſtimonio tam gentilium, quàm Chriſtianorum, tam iuriſconſultorum, quàm hiſtoriographorum, non paucorum, vt breui videbitur.
Senatores Romulus centũ numero elegit, quos ob honorem, patres: ob ætatem, ſenatores appellauit: hoc tangit Ouid. V. Faſt. Senatores

Nec niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros,
Nomen & ætatis mite ſenatus habet:
Iura dabat populo ſenior, finitaque certis
Legibus eſt ætas, vnde petatur honos.

Qui verò ex his primoribus centum patribus geniti ſunt, Patritij nuncupati ſunt, apud Græcos verò Imperatores omnino maior erat dignitas, non ex ſucceſſione debita, ſed quæ ſolebat à principe concedi. Suidas patritios eſſe tradit, communis Reipub. patres, qui in ſuprema dignitate ſenatorij conſilij eſſe cenſentur.
Senatores autem triplicis ordinis fuerunt, Patritij, Pedarij, Conſcripti. De Patritijs dictum eſt. Conſcripti ſenatores hi ſunt, qui Regum, Conſulum, Cenſorúmue decreto, in ſenatum lecti ſunt. Accurſius autẽ imprimis rudis grammatices, dicit in gloſſa. C. de emenda. Iuſti. Co. ff. patres conſcriptos ideo ſic dictos, quòd nomina eorum ſcripta eſſent in diademate ca-
pitis

pitis eorum in literis aureis, vt recognoſcerentur ab alijs hominibus: quid ineptius, aut falſius dici poteſt? Quis vnquam audiuit ſenatores diademate Romæ ornari? Sed (vt Feſtus ait) Conſcripti dicebantur, qui ex equeſtri ordine patribus aſcribebantur, vt numerus ſenatorum expleretur. Pedarij verò (vt dicit Feneſtella) varijs rationibus appellati ſunt: alij verò, quòd hi non haberent ſententiæ dictionem in ſenatu, ſed in aliorum ſententias pedibus irent, dictos pedarios putant. Alij, quòd eſſent plerique, qui Magiſtratus curules adepti, ſella curuli in ſenatum veherentur, qui verò pedibus iter facerent, pedarij nominabantur. M. autem Varro equites quoſdam eſſe ait, quibus amplioribus magiſtratibus functis, nondum tamen in ſenatores lectis, non eſſet ius dicendi in ſenatu ſententiæ, cùm tamen in ſenatum venire liceret: ſed quas ſententias princeps dixerat, in eas diſcedebant. Conſularis poteſtas ſumma erat poſt exactos reges, & annua tantùm, ne nimia diuturnitate in ſuperbiam, & licentiam prolaberentur. Et duo ſemper erant Conſules, vt vnus alterum, ſi malè ſentiret de Repub. caſtigaret, & dicti ſunt Conſules (vt ait Pomp. Iuriſconſ. ff. de orig. iuris) quòd plurimum Reipub. conſulerent, vt diuus Hieron. ait, ſuper ſecunda viſione Eſaiæ: Principes quondam Romani conſules appellati ſunt, vel à conſulendo ciuibus, vel à regendo cuncta conſilio, & nos habemus in eccleſia ſenatum noſtrum, cœtum presbyterorum.

And. Dom. intellige

Conſul

rorum. Proconſules autem dicebantur,qui loco conſulum in prouincias cum imperio mittebantur, eorumque vice fungebantur, quamdiu in prouincia eſſent. Tribunus Celerum ſecundum locum à regibus tenebat, teſte Pomp. Iuriſconſulto, & præerat militibus & emendationi militię: dicti ſunt celeres à celeritate, quòd celeriter occurrerent, ſi quando eorum opera Reſpub. indigeret, vel à Celere quodam interfectore Remi, qui primus his ordinibus Præfectus fuit. Celeres antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, & dicuntur Tribuni à tribu. de quibus Hieron .loco, quo ſuprà, dicens: Centuriones vocantur, qui centum præſunt militibus, & Chiliarchi, qui mille, quos Tribunos appellamus, ab eo quòd præſunt tribui: vnde & Decanos dicimus, qui decem præſunt hominibus,vel Tribuni,ſecúdum Pom. Iuriſconſultum dicuntur, quòd tunc in tres partes populus erat diuiſus, & ex ſingulis ſinguli creabantur, vel qui tribuum ſuffragio creabantur. Tribuni militum erant,qui parem cum conſulibus habebant in caſtris poteſtatem, & patroni exercitus, opponebanturque Imperatori pro militibus, hi forſan Mareſchalci hodie dicuntur. Dicitur autem Tribunus cohortis (quæ ferè mille militibus conſtabat) legatus legionis. Non autem dicimus, Centurio cohortis, ſed ex cohorte, & tribunus cohortis: Nec tribunus legionis, ſed legatus: Nec legatus exercitus,ſed Imperator: Legatus autem dicitur legionis,

Proconſul

Tribunus Celerum

Tribuni militum

gionis, & tribunus cohortis, quia toti illi præeſt, vt Imperator exercitui. Tribunorum officium erat, vt Martianus de re militari ſcribit, in caſtris milites continere, & ad exercitationem producere, vigilias circuire, rei frumentariæ præeſſe, querelas commilitonum audire, valetudinarios inſpicere. Et horum duo erant genera: alij Ruffilij, ac poſtea Rutili vocati, qui in exercitu creabantur à Conſule, non à populo: alij comitiati, qui Romæ in comitijs deſignabantur. Sunt & Tribuni ærarij, ab eo dicti, quòd his tributa erat pecunia, quam militibus diſtribuerent. Tribuni plebis erant diſſenſores plebis, ne vis aliqua, aut fraus in plebe inferretur, vt æquitas in ciuitate, & maior libertas eſſet, hos Græci Demarchos vocant: & hi (vt ego arbitror) hodie apud Germanos in Imperialibus ciuitatibus proletario & illiterato vocabulo, Scabini dicuntur, quos alij prætores vrbanos vocari volunt, quibus ego non ſubſcribo. Fuit autem tanta Tribunorum plebis poteſtas, vt dicit Feneſtella, vt quicquid decreuiſſet ſenatus, ita demum ratum haberetur, ſi Tribuni approbauiſſent. Decemuiri (penul. correpta, ſicut etiam Triumuiri, Duumuiri, & ſimilia) creabantur omnibus vrbis magiſtratibus per annum ſublatis, legum condendarum, & inditiorum ferendorum gratia, & decem numero conſtituti ſunt ſenatuſconſulto, & populi conſenſu, & præ cæteris magiſtratibus officia penè omnia obibant: hi à Græcis ciuitatibus

L. officiũ § fina. ff. de re milit.

And. Dom. intelligit.

bus leges petiuerunt, & tabulis eburneis, ſeu (vt alij volunt) æneis præſcripſerunt. Inde leges XII. tabularum dictæ. Decemuiri etiam ſucceſſu temporis conſtituti ſunt Romæ, teſte Pomp. qui haſtæ præeſſent, & litibus iudicandis. Habebant autem alij etiam legatos, vt dicit *Feneſtella ob rerum gerendarum multitudinem, qui non propria, ſed mandata iuriſdictione vtebantur. Prætores introducti ſunt ita, vt Pomp. Iuriſconſul. ff. de origine iuris narrat, cùm Conſules auocarentur bellis finitimis: neque eſſet, qui in ciuitate ius reddere poſſet, factum eſt, vt prætor quoque crearetur, qui vrbanus appellatus eſt, eò quòd in vrbe ius redderet. Poſt aliquot deinde annos non ſufficiente eo prætore, quòd multa turba etiam peregrinorum in ciuitatem veniret, creatus eſt & alius Prætor, qui peregrinus eſt appellatus, ab eo, quòd plerumque inter peregrinos ius diceret, vt Liuius lib. V. ſcribit. Primus prætor ex patribus, qui ius in vrbe diceret, creatus eſt, penes quem magiſtratum omnis publici, priuatíque iuris poteſtas eſſet, & vt nouum ius condere, & vetus abrogare poſſet, idque, ob Magiſtratus honorem, ius honorarium appellatum eſt. Ab initio autem, prætor omnis Magiſtratus appellabatur, cui pareret exercitus: Dicitur autem prætor, vt præſit: vt Liuius videtur velle: vel ſecundum Varronem, à præeundo, quaſi præitor, quod præiret iure, & exercitu. Erant item prætores prouinciales, qui prouincijs ius dicerent,

[Margin: aliâs Centũuiri | Legati | *And. Dom. intellige | Prętores]

rent, qui totidem fuerunt, quot prouinciæ in deditionem Romanorum venerant. Dictator, Magiſtratus erat ſummæ poteſtatis, & extraordinarius, nec niſi ſex menſes durauerat: ſic dictus, quòd eius dicto parendum eſſet, vel eius dicto audientes omnes eſſent, qui antiquitùs Magiſter populi dictus eſt, vt teſtis eſt Pomponius Iuriſconſultus, Cicero, Varro, Seneca. Magiſter Equitum Dictatori proximus, equitibus regendis præfectus erat. Præfecti prætorio tales fuerunt apud Cæſares, quales apud reges Tribuni Celerum, aut apud Dictatores Magiſtri equitum, hoc confirmat Aurelius Iuriſconſul.ff.de offi. præ.l.1.inquiens. Ad vicem Magiſtri equitum præfectos prætorio antiquitùs inſtitutos eſſe à quibuſdam ſcriptoribus traditum eſt. Nam cùm apud veteres dictatoribus ad tempus ſumma poteſtas crederetur, & Magiſtros equitum ſibi eligerent, qui aſſociati principali curæ militiæ gratia, ſecundam poſt eos poteſtatem gererent, regimentis Reipub. ad Imperatores perpetuò tranſlatis, ad ſimilitudinem Magiſtrorum equitum, Præfecti prætorio à principibus electi ſunt. Data eſt eis plenior licentia ad diſciplinæ publicæ emendationem, hoc idem tradit Feneſtella, à quo hic accepit. Sunt autem hodie apud principes mareſchalci, qui olim Magiſtri equitum dicti ſunt. Cenſores dicuntur, teſte Varrone, ad quorum cenſionem, id eſt arbitrium, cenſeretur populus, hi igitur cenſui habendo, luſtris condendis,

Præfecti prætorio

And.Dom. intellige

Cenſores

mori-

moribus denique, & diſciplinæ Romanæ præfecti erant. Quæſtores, qui ærario Præfecti erant, & ſumptibus publicis, à quærendo, &, vt Pomp. Iuriſconſul. ait, quod inquirendæ, & conſeruandæ pecuniæ cauſa, creati erant. Quæſtores vrbani erant, qui nunc vulgò Magiſtri computorum dicuntur, qui & Præfecti ratiociniorum dici poſſunt. Quæſtores militares, & qui cum Conſulibus, & prætoribus mittebantur ad bellum, pro adminiſtranda re pecuniaria, hodie theſaurarij dicuntur. Erant & quæſtores parricidij, qui capitalibus rebus præerant, & hi à quæſtionibus dicebantur, qui poſteà Triumuiri capitales nuncupati ſunt, de Quæſtoribus plura in commentarijs linguæ latinæ dixi. Interrex erat, qui donec Reſpub. rege aut conſule carebat, vices regis, vel conſulis gerebat. Inde interregnum venit. Legati erant etiam qui ducibus dabantur exercitus, à ſenatu, non ſolùm adiutores, ſed cuſtodes, & animaduerſores rerum à ducibus geſtarum: ita, vt nihil ipſis ignaris à duce gereretur, quos hodie (vt dicunt) campi prouiſores vulgus Italorum vocat. Præſes prouinciæ (vt dicit Vlpia.) eſt is, qui maius in prouincia imperium habet omnibus poſt principem. Aliquando etiam dicitur auxiliator, & defenſor. Ædiles dicti ſunt ab eo, quòd ædes ſacras, & priuatas procurent, & à ſolio eburneo, quibus inſidebant, Curules dicebantur. Aedilium officium erat, ludos, & ſpectacula exhibere, & (vt dicit Feneſtella) cloa-

Quæſtores

Interrex

Legati

Præſes prouinciæ

Aediles

cis publicis, & aquæ ductibus, cæteriſque ædificijs publicis præpoſiti erant : denique quicquid rerum vitioſarum pro ſyncero, fractum pro integro vſquam veniſſet, ædilitio edicto, redhiberi ſolet. Inde græcè ædilis dicitur, ἀγοϱανόμοσ, quòd foro rerum venalium, cui regulam præſcribit, præpoſitus ſit. Plaut. in cap. hunc fecerunt ſibi Ætholi agoranomum. Inde apud Rom. à Cæſare creati ſunt ædiles Cereales, & à Cerere nominati ſunt, vt ſcribit Pomp. is cura rerum vendendarum, (ne qua fraus fieret) & menſurarum commiſſa erat. Triumuiri triplices fuerunt, Capitales, Menſarij, Nocturni: De capitalibus ſic habet Pomp. ff. de origine iuris. Triumuiri capitales conſtituti ſunt, qui carceris cuſtodiam haberent, & cùm animaduerti oporteret, eorum interuentu fieret. Triumuiri menſarij, ſiue monetales erant, quorum diligentia, & cura, numiſmata auro, argentoque fabricarentur, de quibus Liuius dicit : Triumuiri menſarij creati ſunt, hique nummularijs, & monetæ omnis generis, & formæ cuſoribus præerant. De Triumuiris nocturnis, qui publicis præerant incendijs, meminit Cornelius Tacitus. Triumuiri nocturni, quòd ad incendium in ſacra via ortum tardè venerant, à Tribuno plebis die dicta damnati, quos poſteà Præfectos vigilum dictos oſtendit Pomp. Iuriſconſultus, inquit enim : Præfectus vigilum cognoſcit de incendiarijs, & effractoribus, furibus, raptoribus, & receptatoribus, &, vt inquit

Triumuiri Capitales, Menſarij ac Nocturni

Pau-

Paulus, de officio Præfecti vigilum. Apud vetuſtiores incendijs arcendis, Triumuiri præerant, qui ex eo, quòd excubias agebant, nocturni ſunt dicti. Augu. autem in grammatica ſua, faciens vnam partem orationis, dicit, Præfectus vigilibus, Præfectus fundis, Præfectus annonæ. Eſt autem Præfectus annonæ, qui in caritate annonæ frumentum vndique, vt dicit Feneſtella, coëmerat: & ſi quis vltrà proprios vſus poſſideret, in medium ponere iuſſit, aduehi vndique, aduectum iuſto precio venire frumentum curabat. Præfectus autem fundis, qui fundis, & agris præerat, & nunc in pagis noſtris Sueuicis eliguntur Triumuiri, vel Quatuoruiri, vel Quinqueuiri, pro vt magnus, vel paruus eſt pagus, qui gerunt curam de pecore paſcendo, de paſcuis, de tutandis frugibus, & damnis agrorum præcauendis, & ſimilibus. Scripſit Pomponius de Origine iuris de quatuor viris, qui curam viarum agerent, & alijs Duumuiris, quibus Tullus Hoſtilius poteſtatem fecit iudicandi de capite M. Horatij, qui ſolus ex trigeminis, bello Albano remanſerat, & reus accerſitus, quòd extra portam Capenam ſororem interfecerat. Præfectus vrbi, qui cuſtodiæ vrbis, & iuri dicendo præpoſitus erat, quoties Reipub. cauſa Magiſtratus abeſſent, &, vt Dionyſius Halicarnaſeus ait: Romulus primùm elegit vnum, qui vrbanis negotijs præeſſet: longo poſt tempore tantum ſibi vrbis præfectura vendicauit imperatorum temporibus, vt crimina

Præfectus Vigilibus, Fundis, & Annonæ.

Duumuiri capitales

Præfectus vrbi

omnium in vrbe cognoſceret, & demum cùm Imperatores abeſſent, Pręfectus velut alter Cæſar, & Imperator imperabat, de rebus omnibus, quæ ad Cæſarem pertinebant, cenſebat. Sunt item ſingulorum ordinum in militia aliquando Præfecti creati, vt Præfecti alarum, Præfecti cohortium: & Præfecti legionis, vicem habebant: legati abſentis, quibus parebant Tribuni, Haſtati, Pilani, Centuriones, & totus denique exercitus. Præfecti item caſtrorum, quorum cura erat poſitio valli, foſſæ, tentoria, tabernacula, tormenta bellica, &c. Procuratori Cæſaris omnis res familiaris principis commiſſa erat: etiam quicquid is egiſſet, ratum erat apud Cæſarem: hic à recentioribus leguleis comes rerum priuatarum Cæſaris dicitur.

Procurator Cęſaris

De Sacerdotijs Romanorum.

Pontifices

POntifex maximus cæteris Pontificibus præèrat: nec poterat niſi vnus eſſe, qui templo Veſtæ, & cuſtodiæ Palladij erat Præpoſitus, cui denique omnia ſacra publica, priuataque ſubiecta fuerunt. Et Pontifices Q. Mutius Scœuola à poſſe & facere appellatos eſſe dicere ſolebat: ſed ea denominatio à Marco Varrone, haud ſatis probari videtur: Nam & à ponte & facio pontifices appellatos putat, eò quòd ab his pons ſublitius factus, & ſæpè reſtitutus eſſe perhibeatur: ante pontem autẽ ſublitium ab Anco Martio factum, principes ſacerdotum

dotum à Numa Pompilio ſunt appellati. Rex ſacrorum alio nomine ſacrificulus, Pontifici Maximo ſubijciebatur. Cùm enim à Regibus quædam ſacra inſtituta eſſent, à ſoliſque Regibus obiri, conſueta fuerint, ne omnis religio extincta videretur, creabatur Rex ſacrorum, ſed ne regiam dignitatem Regis appellatione vſurparet, Pontifici Maximo ſubijciebatur. Fœciales (quorum pater patratus princeps erat) ſacerdotes dicebantur, qui faciendis præerant fœderibus. Inde enim dicti (teſte Feneſtella) à Varrone autem à fide & faciendo: à Pomponio à ferendo dicti. Vbi de fœderibus conuenerat, admitti conſueuit Pater patratus, ad patrandum enim, id eſt, ſanciendum iuramentum admittebatur, eos inſtituiſſe dicitur Numa, cùm indicendum eſſet bellum Fidenatibus. Caduceatores autem pacis erant legati, dicti à Caduceo, quem manu geſtabant. Salij ſacerdotes fuerunt Martis, à ſaltando dicti, eò quòd in portandis ancylibus quotannis verſicoloribus tunicis ornati, per vrbem ſaltarent, & tripudiarent, hos Numa xij. inſtituit. Tullus autem Hoſtilius duplicauit numerum. Galli fuerunt ſacerdotes matris deorum, quæ & Ops dicitur, & Cybele, Rhea, Berecinthia. Et ſacerdotes illi caſtrati erant, & dicti à Gallo vetuſto Phrygiæ flumine, cuius aquam potantes, in inſaniam vertuntur. At Hieron. in commentarijs veteris inſtrumenti, aliter ſentiens, dicit: Hi ſunt, quos hodie Romæ matri, non deorum, ſed dæmoniorum

Rex ſacrorũ

Fœciales

Caduceatores

Salij

Galli

ſeruientes, gallos vocant, eò quòd de hac gente Romani truncatos libidine, in honorem Martis, quem Eunuchum dea meretrix fecerat, ſacerdotes illius mancipauerunt: propterea autem gallorum gentes homines effœminantur, vt qui vrbem Romam ceperant, hac feriantur ignominia. Inde archigallus, qui Gallorum ſacerdotum eſt Princeps, & vt Firmicus Mater dicit: ſi à Venere Luna defluens in nocturna genitura feratur, minuta luminibus Saturnum, aut ſteriles, aut Eunuchos, aut archigallos, aut hermaphroditos faciet. Flamen dialis fuit ſacerdos Iouis: dictus autem flamen, vt Varro ait, quod in Latio capite velato erat, & filo lanæ caput præcinctum habebat, à quo flamen appellabatur. Dialis autem à Dijoue, quod eſt iuuans deus: Cæteri flamines eius cui præſident numini, decorantur titulis, vt flamen Martialis à Marte, Quirinalis à Quirino Romulo, Vulcanalis à Vulcano. Virgines Veſtales fuerunt ſacerdotes Veſtæ, quales hodie Moniales ſunt. Collegium augurum erat ordo hominum prudentium, qui prodigijs publicis præerant, & primùm tres augures fuerant à tribus tribubus, ſic inſtituit Romulus, teſte Dionyſio Halicarnaſeo, inde quatuor creati. Tandem plebe per Tribunos id petente, quinque plebei augures, quatuor patritijs adiuncti fuerunt, & ſic numerus nouem augurum manſit. Potitij & Pinarij fuerunt duæ familiæ, hoſpites Herculis in Italia, & tandem eius ſacrorum ſacerdotes

Flamines

Virgines veſtales

Augures

Potitij & Pinarij.

tes

tes inſtituti:de quibus Virg. in viij. Aeneid. plura. Luperci Sacerdotes erant Panis Licæi, ſiue Fauni, aut Syluani, nudi ſacrificantes. Epulones fuerunt ſacerdotes, qui ludorum epulare ſacrificium faciebant, & primùm fuerunt tres, pòſt quinque, tandem ſeptem. Duumuiri à Tarquinio ſuperbo inſtituti erant, qui ſoli libros Sibyllinos inſpicerent, poſteà creati ſunt x. & tandem xv. & dicti ſunt quindecimuiri, quibus aliquando cura fuit commiſſa corrigendorum faſtorum. Fratres aruales numero xij. qui ſacra publica facerent: propterea, vt arua ferrent fruges, à ferendo igitur & aruis (vt Varro ſcribit) Fratres aruales dicti.

Luperci

Epulones

Duumuiri ſacrorum

Fratres aruales

FINIS.

TABVLA, ET SERIES POTESTATVM, HIS LIBRIS ANDREÆ DOM. F. F. DESCRIPTARVM.

LIB. I.

DE rerum humanarum primordiali ſtatu, & quomodo ante leges, et imperia, vitam exegerint mortales. Procem. Fol. I

De Lupercis, *Sacerdotibus Fauni. Cap.I.* 7

De Potitijs, & Pinarijs, ſacerdotibus Herculis. Cap.ij. 8

De Fratrib.arualibus Accæ Larentiæ. Cap.iij. 9

De Augurib.diuinæ mentis internuncijs. iiij. 10

De Flaminibus rei diuinæ perpetuò addictis. Cap.v. 11

De Virginibus Veſtæ, Cap. vj. 13

De Salijs, *Martis Gradiui Sacerdotib. vij.* 14

De Collegio Pontificum, deque Pontifice Maximo. *Cap.viij.* 15

De Fœcialibus. Cap.ix. 15

De Patre Patrato. Cap.x. 16

De Rege Sacrorum. Cap.xj. 17

De Gallis Sacerdotib.matris Deûm. Cap.xij. 18

De Duumuiris Sacrorum. Cap.xiij. 19

De Septemuiris Epulonum. Cap.xiiij. 19

LIB.

LIB. II.

DE regia poteſtate, & an ſingularis poteſtatis titulo veniat. Procem. Fol. 20
De Senatoribus. Cap.I. 22
De Tribunis Celerum. Cap.ij 25
De Quæſtoribus. Cap.iij. 26
De Interregia Poteſtate. Cap.iiij. 26
De Duumuiris Capitalibus. Cap.v. 27
De Præfecto vrbi. Cap.vj. 28
De Conſulibus. Cap.vij. 29
De Dictatore. Cap.viij. 31
De Magiſtro Equitum. Cap.ix. 32
De Tribunis plebis. Cap.x. 32
De Proconſulari Poteſtate. Cap.xj. 34
De Legatis Proconſulum. Cap. xij. 35
De Aedilibus. Cap.xiij. 35
De Decemuiris, legum ferēdarum cauſa creatis. Cap.xiiij. 36
De Præfecto Annonæ. Cap.xv. 39
De Tribunis militū, conſulari poteſtate. xvj. 40
De Cenſoribus. Cap.xvij. 41
De Triumuiris Coloniæ deducēdæ. Cap.xviij. 42
De Prætoribus. Cap.xix. 43
De Quinqueuiris Menſarijs. Cap.xx. 44
De Duumuiris Claſsi reficiendæ, Tribunis militaribus, ac Triumuiris nocturnis. Cap.xxj. 44
De Triumuiris Reip.conſtituendæ. Cap.xxij. 45

De Præfecto prætorio. Cap.xxiij. 46
De quibuſdam Minorum Magiſtratuum ſpeciebus. Cap.xxiiij. 46
De Præfecto Vigilum. Cap.xxv. 47
De Procuratore Cæſaris. Cap.xxvj. 47

TABVLA POMPONII LÆTI.

LIB. I.

DE Rege, Cap.I. Fol. 55
De Maieſtate Regis. Cap.ij. 55
De Senatoribus. Cap.iij. 55
De Poteſtate Senatus & plebis. Cap. iiij. 56
De Interrege. Cap.v. 56
De Duumuiris. Cap.vj. 56
De Præfecto Vrbis. Cap.vij. 56
De Præfecto Prætorio. Cap.viij 56
De Præfecto Annonæ. Cap.ix. 56
De Præfecto Vigilum. Cap.x. 57
De Præfecto in Militia. Cap.xj. 57
De Præfecto Legionis. Cap.xij. 57
De Præfecto Caſtrorum. Cap.xiij. 57
De Præfecto Fabrorum. Cap.xiiij. 57
De Conſulibus. Cap.xv. 57
De Dictatore, & Magiſtro Equitum. xvi. 58
De Quæſtoribus. Cap.xvij. 58
De Tribuno Plebis. Cap.xviij. 58

De Tribunis Militum. Cap.xix. 59
De Aedilibus. Cap.xx. 60
De Cenſoribus. Cap.xxj. 60
De Decemuiris. Cap.xxij. 61
De Proconſulibus. Cap.xxiij. 61
De Prætoribus, & Decemuiris, & Curatoribus viarum, & Triumuiris, & Quinqueuiris, & Centumuiris. Cap.xxiiij. 62
De Procuratore Cæſaris. Cap.xxv. 62

LIB. II.

DE prima religione apud Latinos. Cap.I. Fol. 63
De Lupercis. Cap.ij. 63
De Potitijs, & Pinarijs. Cap.iij. 64
De Fratribus Arualibus, qui primi fuerunt filij Laurentiæ. Cap.iiij. 64
De Auguribus. Cap.v. 65
De Veſtalibus. Cap.vj. 65
De Flaminibus. Cap.vij. 66
De Salijs. Cap.viij. 66
De Fœcialibus, & Patre patrato. Cap.ix. 67
De Pontificibus. Cap.x. 67
De Rege Sacrificulo. Cap.xj. 67
De Gallis, Sacerdotib. matris deûm. Cap.xij. 68
De duumuiris, & decemuiris Sacrorũ. xiij. 68
De Epulonibus. Cap.xiiij. 68
De Titijs Sodalibus. Cap.xv. 68

TABVLA IN COMMENTARIOS RAPHAELIS VOLATERRANI.

COMMENTAR. I. *Fol.* 69
Dictator. Tribuni plebis. 69
Tribuni conſulari poteſtat. Prætores. Proprætores. Quæſtores. 70
Aduocatus fiſci. Senatores. Pedarij. 71
Conſules. Proconſules. Candidati. Comitia. 72
Cenſores. 73
Præfectus annonæ. Præfecti Vigilum. Præfectus Prætorio. Aediles Plebei, & Curules. Decemuiri legib. ſcrib. Triumuiri capitales. Triumuiri Coloniæ deducendæ. 74
Triumuiri Reipub. conſtituendæ. 75

COMMENTAR. II. *Fol.* 75
Pontifex Max. Duumuiri Sacrorum. Septemuiri Epulonum. Rex Sacrorum. 75
Salij. Potitij, & Pinarij. Fœcialis & Pater patratus. Virgines Veſtales. 76
Augures. Luperci. Sodales. Fratres aruales. 77
Potitij, & Pinarij. Galli. 78

TAB-

TABVLA IN LIBEL. HENRICI BEB. IVST.

Imperatores. 78
Senatores. *Conſul.* 79
Proconſul. *Tribunus Celerum.* *Tribuni militum.* 80
Legati. *Prætores.* *Præfecti Prætorio.* *Cenſores.* 81
Quæſtores. *Interrex.* *Legati.* *Præſes Prouinciæ.* *Aediles.* *Triumuiri Capitales, Menſarij, Nocturni.* 82
Præfectus Vigilibus, Fundis, Annonæ. *Duumuiri capitales.* *Præfectus Vrbi.* *Procurator Cæſaris.* *Pontifices.* 83
Rex Sacrorum. *Fœciales.* *Caduceatores.* *Salij.* *Galli.* *Flamines.* *Virgines Veſtales.* *Augures.* *Potitij, & Pinarij.* 84
Luperci. *Epulones.* *Duumuiri Sacrorum.* *Fratres aruales.* 85

FINIS.

ANTVERPIÆ,
EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS, VICESIMASEPTIMA IAN.
M. D. LXI.


SCRVTA MINI

12833